

Umg.

IV A 25



P. III. 5

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

IV A 25.

SIGNAT. MDCCCXIII.

n. A



DISPUTATIONES ETHICAE
DISTINCTIS TEMPORI-
BUS HABITÆ IN COLLEGIO
PHILOSOPHICO PRIVATO VVI-
tebergæ, mensibus vernis, anni 98.

Sub Prasidio

M. PETRI STÆRMONTII
Varmiensis Borufsi,

Respondentibus

Doctissimis & ornatissimis Adolescentibus

Petro Neomarco *Pomer.* Balthasare Osten *Siles.* Ste-
phano Xylandro *ex Hung. Sepusio.* Davide Meisnero
Pomer. Iohanne Vlbeccio *Franc.* Geor. Achatio Schrö-
tero *Austr.* Ioachimo Schultzio *Pomerano Stetinens.*
studiosis S. S. Theologiæ & Iurisprudentiæ.

Quibus accessit disputatio publica de Amicitia.

I 5



8 9.

WITEBERGÆ,
Typis M. Georgij Mulleri.



Quas

A M P L I S S I M I S P E -
C T A T I S S I M I Q ; S E N A T O R I S , D O M I -
N I C O N R A D I S L U H T / P E R I T I S S I M I , D O C T I S -
s i m i , c e l e b e r r i m i q ; A p o t h e c a r i j V V i t e -
b e r g e n s i s f i l i j s d u o b u s l i t e r a -
t i s s i m i s .

Dn. Iohanni Sluht / } **SS. LL. & Philos. Studiofis.**
Dn. B. Conr. Sluht. / }

Nec non

Clarissimo Dn. M. Vdalrico Nagel | senatus
Philosophicj VVitebergensis Assessori,
amico, & collega meo integerrimo.

Honestæ consuetudinis & studiorum ergo
amicè nuncupat & offert.

M. P E T R U S S T A E R M O N T I U S .

XLVII

*Philosophicae sententiae colliguntur ex sententia, sapientia,
& reliquorum habitum intellectione operatione: pura, si quis
in Alkologiae atque ad hoc in Philosophia, ita sit veritas.*

DE BEATITUDINE

I.

Beatitudo alia est æterna ac divina, cuius *beatitudo æterna*
obtinendæ gratiæ Homo in principio fuit condi-
tus à DEO, de qua loquitur codex sacer, Esaiæ
cap. 25. versu 9. c. 30. v. 29. c. 49. v. 10. c. 60. v.
19. Ierem. c. 31. v. 3. 8. 13. Daniel. c. 12. v. 13. Sap.
c. 5. v. 1. 16. Matth. c. 13. v. 43. Marc. c. 12. v. 25. Luc. c. 9. v.
33. Iohan. c. 16. v. 20. Rom. c. 8. v. 30. 1. cor. 2. v. 9. 2. cor. 12.
v. 3. 2. Tim. 4. v. 8. Apoc. cap. 21. & 22.

II.

~~Beatitudo alia est Physica & humana, quæ adminiculo~~ *Beatitudo naturalis.*
~~Scientiarum, & virtutum moralium luce inveniri, atq; in hac~~
vita comparari potest, de qua disputat Aristoteles lib. 1. & 10.
Eth. ad Nicom. & lib. 1. mag. mor. & lib. 1. & 2. ad Eudemum,
atq; de hac sola Beatitudine præsens est instituta disputatio.

III.

Cum Beatitudo idem sit quod Summum Bonum, & sum- *1. Eth. c. 4.*
mum Bonum sit ultimus finis hominis: prius de ipso fine, po-
stea de summo Bono, seu Beatitudine differemus.

IV.

Non solum Homo, sed omnis omnino Creatura agit pro- *Omnia res*
pter finem: adeo, ut sublato fine, universæ res quiescant, nul- *à Deo cre-*
~~la motu ciantur, neq; per se, neq; per aliud: id enim testa-~~ *ata opera-*
tur etiam Brutorum animantium in fœtibus educandis inge- *tur et agit*
nij plenus amor: in operibus conficiendis artificium: in quæ- *gratia fi-*
rendo cibo industria: in se suaq; specie tuenda & conservanda *nis lib. 2.*
solicirudo, arma, astus, stratagemata, quibus hostem aut ag- *phys. cap.*
grediuntur aut declinant, quæ omnia cum tanto naturæ impetu *9.*
& alacritate ab eis fiant, liquidum est, effici alicujus boni gra-
tia, ac proinde ob aliquem finem.

V.

Quamquam, modus agendi non est unus ac idem in singu- *Homo ex-*
lis: alio enim modo Homo operatur propter finem, alio modo *cellentissi-*
bruta, alio modo res anima carentes. ~~Homo enim intelligit suum~~ *mo modo*
~~finem, & per certa media seipsum agit in finem: res inanimatae~~ *operatur*

A 2

neque

propter finem & Eth. neq; finem suum intelligunt, neq; seipsas agunt, sed opus habent externo motore, qui eas dirigat. VI.

c. p. 7.
Arist. lib. 3. de Anima. cap. 3.
Ab. Mag. 2. phys. tract. 3. cap. 2.
Bruta medio modo se habent: quia, cum ratione careant, non intelligunt finem: & cum anima vivente sint prædita, externo motore non semper indigent, sed phantasiæ ductu atque instinctu operantur: quia videmus singulis belluarum speciebus peculiarem inesse inclinationem, quam sequantur, omnes enim vulpes subdolæ sunt: omnes araneæ ingeniosæ & insidiatrices: omnes grues circumspectæ: omnes apes industriæ: omnes formicæ providæ, itemq; singulæ species, ex innata propensione certum habent modum operandi, à quo non deflectunt ad cætera opera.

Plantæ quomodo agant propter finem.
VII.
Quod verò ad plantas attinet, certum est eas anima vegetativa præditas esse, & quo ad seu augmentum & propagationem seipsas movere: tamen cum phantasia careant, minus quam Bruta suum cognoscunt finem, sed uti cœli, sydera, elementa, & lapides directione opus habent, ut totius naturæ finem consequantur.

Pers. Sat. 5. nec non Horat. 2. serm. sat.
VIII.
Itaq; solus Homo propriè censendus est propter finem agere, quod nimirum ex liberi arbitrij facultate, suo quisque studio ducatur: hanc rem, illi aliam amplectantur, hinc illud poëtæ:

I.
Mille hominum species, & rerum discolor usus:
Velle suum cuiq; est, nec voto vivitur uno.

Possunt sibi varios fines proponere Homines.
IX.
Agit præterea Homo non solum propter finem, sed habet etiam fines specie distinctos, dum alius propter divitias, alius propter honores, alius propter scientias dies noctesque laborat: insignis enim esset stulticia, nullius rei gratia tantos susferre labores. ~~Vacuum ne conatus humani in infinitum abeunt,~~
vnum oportet constituere ultimum finem, in quo animus hominis acquiescat.

Vnus Homo vnum tantum habere potest ultimum finem.
X.
Nequit tamen Humanus animus proficere res diversas, tanquam ultimos fines: quamvis possit plura experere & velle in ordine & respectu ad vnum aliquem finem. E. G.

E. G. Mercatoris finis possunt esse divitiæ, sub quo fine idem etiam ambire potest consulatum, aut præfecturam aliquam. Et Philosophi finis esse potest scientia, sub quo fine etiam latere potest honor, valetudo, rei familiaris administratio.

XI.

Et cum tria reperiantur inter homines vitæ genera, Philosophicum unum, politicum alterum, tertium privatum: privatos eos nominamus, qui non tantum Reipub. quantum suis student commodis: privata n. publicis opponimus.

*Tria genera vitæ.
lit. 1. ad Eud. c. 10.*

XII.

Qui privatam, atq; ex proprio cerebro exsculptam sectantur felicitatem, specie inter se distinctos habent fines ultimos, quorum alij divitias, alij honores, alij imperium, alij valetudinem, alij pulchritudinem, alij urbanitatem, alij voluptatem putant esse summum Bonum.

Privatæ Beatitudinis species septem.

XIII.

Aristoteles duo genera divitiarum recenset, quosdam vocat naturales, quod videlicet à natura nobis ad usum tribuuntur ut domus, jumenta, prædia, agri, horti: quosdam ab arte profectas, ut pecunia seu nummus, quem ars humana invenit, ut ei set communis mensura commutandarum rerum.

1. polit. cap. 6. & 5. Eth. cap. 5.

XIV.

Quod verò in neutro horum summa felicitas constituta sit, declaratur ex eo: quod divitiæ naturales non parentur sui gratia, sed ad sustentandam vitam, atq; ideo non sunt ultimus finis: multò minus autem artefactæ, quod propter naturales querantur.

Divitiæ non sunt summum Bonum.

XV.

Et licet Philosophus dicat nummum esse mensuram rerum omnium, & omnia numero metiri: tamen ejus usus se tantum extendit ad res venales, & propter ipsas expetitur, in quibus si summum Bonum consisteret, nunquam ab alijs venderentur: reliquæ autem res, sanitas, pulchritudo, scientia, prudentia, justitia, & reliquæ virtutes nummo non sunt subiectæ.

5. Eth. cap. 5. & lib. 1. mag. mor. cap. 34.

XVI.

Neq; Honor dici potest summum Bonum. Propterea quod is fit in honorante: Beatitudo autem fit in ipso Beato. Deinde Honor exhibetur alicui ob excellentiam & dignitatem, estq; il-

Honor nõ est Summum Bonum. 1. Eth. cap. 5.

Hus veluti testimonium: **H**ominis autem excellentia in ipsa eius
Beatitudine maximè continetur, quo fit, ut possit quidem Ho-
nos Virtutem & Beatitudinem sequi, non tamen ipsum felicitatis
rationem in se includere.

XVII.

Eth. cap. 3. in oratione pro Archia Cic.

Quod verò dicat Philosophus Honorem esse præmium vir-
tutis, & Cicero asserat, optimum quemq; maxime gloria duci,
id rectè intelligendum est: quia non eodem modo sequitur Ho-
nor ex virtute, quo modo Beatitudo: Honor tantum ut quod-
dam accidens externum debetur viro Bono, & sic est præmium
virtutis: Beatitudo verò est finis virtutis, & intimè inest in vi-
ro Beato.

XVIII.

Ius domi- ni non est summum Bonum. 10. Eth. cap. 6.

Neq; in Potestate atq; Imperio existit summa hominis fe-
licitas, quia potentia humana instabilis est, nec hominis volun-
tati atq; arbitrio est subjecta semper: & tam bonis, quam malis
obtingere potest: & possunt homines potestate benè uti, & ab-
uti: parit deniq; odium & timorem, necesse enim est multos ti-
meat, quem timent multi, quorum nullum ad Beatitudinem hu-
manam spectat.

XIX.

Quod verò Homines nihil magis: quam servitutem fugiant,
inde non evincitur dominium seu potestatem servituti oppo-
sitam esse maximè expetendam, atq; adeo Summum Bonum, quia
tam servitus, quam dominium ad corpus referuntur: Beatitudo
autè Humana, ex nobilissima Animæ functione æstimanda est.

XX.

Valetud. & robur corporis non sunt summum Bonum 10. Eth. cap. 8.

Neq; robur & valetudo corporis censenda sunt Summum
Bonum, licet secus videatur morbo correptis: quia hoc pacto
summa felicitas homini & bellius esset communis, immo con-
tingeret canem benè sanum Homine ægro esse Beatiorum: & ho-
mines sicarios ac heluones præ multis bonis ac iustis felicitatem
nactus esse.

XXI.

in Gorgia

Quod verò Plato valetudini primas tribuat, id facit dum-
taxat inter corporis & fortunæ bona: & quod ipsam hominis
vitam conservet beatitudo, ex eo aliud nihil inferitur, præter-
quam quod sit necessaria valetudo ad conservandam Beatitudi-
nem in hac vita.

Neq;

quis aliqui in similes membra **XXII.**

Neq; Pulchritudo corporis dici potest summum Bonum; propterea quod corporis pulchritudo dependeat à materia corpori quo ad omnem suum vigorem: ipsum verò corpus dependeat ab Anima: quicquid igitur pulchri est in corpore, id totum acceptum refert Animæ Homo pulcher: at Beatitudo debet esse ipse finis ad aliud non relatus; alias non esset finis ultimus, atq; adeo summum Bonum.

Pulchritudo corporis non est summum Bonum.

XXIII.

Accedit etiam illud, quod Pulchritudo, quæ definitur apta membrorum compositio cum coloris suavitate, sæpe adjunctam habeat turpitudinem, quam hominis sælicitas respuit, cum ex virtute tota efflorescat.

XXIV.

Quidam verò ideo pulchritudinem vocant summum Bonum, quod videatur esse præcipuū hominis ornamentum: adeo, ut præstantis forma communibus suffragijs imperio digna iudicetur, & oris venustas ipsam virtutem graviolem, amabilioremq; reddat, uti latinus Poëta significavit illo carmine:

Euripides, & Virg. Æneid, so

Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.

XXV.

Neq; in jocis & urbanitate quærendum est summum Bonum, nihil enim absurdius fingi potest, quam totam vitam in negotio terere, plurimosq; labores suscipere ac molestias adire, ludendi & jocandi causa. Præterea meliores esse res serias ridiculis, ludicris, & jocolis, nemo ambigit, cum illæ nobilissimam Animæ functionem excolant, & ad beatè vivendum plus afferant momenti.

In urbanitate & jocolis non est summum Bonum. 10. Eth. cap. 6.

XXVI.

Quamquam urbanitas, & suavis vita degenda consuendo, quatenus à virtute non degenerat, eatenus à Beatitudine non est penitus tollenda, cum Beatitudo ipsa sit vita jucunda in vita perfecta: & sic non immerito admiramur eos, qui jacentes animos suis facetijs ac festivitibus erigere, & ad hilaritatem provocare possunt.

XXVII.

Neq; voluptas stervenda est summum Bonum, quamvis omnes eam expetere videantur, non enim sensu tantum ducimur,

Voluptas non est



Summum veluti Bruta, sed etiam intellectu præditi sumus, qui ad altiora
Bonum 7. transcendit, quàm sensus, immo pecudum, inquit orator, non
Eth. c. 1. hominum vox est, quæ voluptatem esse summum Bonum affir-
10. Eth. mat. **XXVIII.**

c. 6. Et senectutem extollens idem Cicero, inquit ô præclarum
Cic. de Se- munus ætatis senectus, siquidem id auferit a nobis, quod est in
nect. & Adolescentia vitium. Et Archita Tarentinus, nulla, inquit, ca-
paradox. pitalior pestis, quàm corporis voluptas hominibus à natura da-
ta est: hinc patriæ prodiones, hinc Rerumpub. everfiones, &
reliqua incommoda oriuntur.

XXIX.

10. Eth. ~~Quancquam non negamus cum honesta & beata adio-~~
cap. 2. ~~conjunctam esse voluptatem: sed non ea propter summa felici-~~
5. tas simpliciter in voluptate est collocanda: quemadmodum sal
ad condiendos cibos quidem utilis est, non tamen æque, ut cibi,
expetendus: ita voluptas condimentum quoddam est omnium
actionum humanarum, & propter ipsas expetenda.

XXX.

1. Eth. cap. Atq; ex hastenus positis constat, summam hominis fælici-
7. & lib. tatem, neq; in bonis corporis, neq; in bonis fortunæ constitu-
10. cap. 6. tam esse, sed esse quædam adminicula ad illam conservandam,
quare ejusmodi quærendum est bonum, quod sit perfectum, sta-
bile, seipso contentum, & omnium actionum quali extremum
& finis.

XXXI.

1. Eth. cap. Et cum omnis perfectio metienda sit ex actione, opere, &
7. & ult. materia: ideo ex nobilissima actione hominis & præstantissimo
8. & lib. 10. objecto æstimanda erit Beatitudo, jam verò constat, intelligen-
cap. 7. & tis Animæ functiones dignitate præstare brutorum, & stirpium
8. & lib. 1. operationibus: proinde in solius Hominis actione, eaq; præstan-
ad Eud. tissima consideranda est Beatitudo.

XXXII.

Beatitudi- Aristoteles sic definit Beatitudinem: ~~Beatitudo est vite per-~~
nis defini- ~~fectæ, & secundum perfectam virtutem operatio, & iterum fæ-~~
tio lib. 2. licitas est functio Animæ virtute directa, in vita perfecta, dici-
ad Eud. tur in definitione *operatio seu functio Animæ*; quia Beatitudo per-
cap. 1. & fectissimam & nobilissimam hominis actionem sibi vindicat.
lib. 1. ad dicitur, *secundum virtutem, seu operationem directam virtute*; quia
Nicom. oportet
cap. 7.

oportet actionem felicitatis rectæ rationi consentaneam esse.
addit postremo, in vita perfecta: quia ut una hirundo non facit
ver: ita nec dies unus, unavé operatio reddit hominem felicem.

XXXIII.

Ex hac definitione duæ colliguntur Felicitates hominis, una Philosophica; altera civilis. quæ primum & secundum vitæ genus perficiunt ac beant, de quibus supra erat facta mentio thesi 11.

Duæ Beati-

tudinis spe-

cies. lib.

10. Eth.

cap. 7.

8.

XXXIV.

Vt verò exposita definitio Beatitudinem utramq; comple-
tatur, operæ pretium est particulam virtutis in definitione po-
sitam, etiam ad habitus intellectus extendere. quod fecisse Ari-
stotelem, constat ex pluribus locis, tum potissimum ex lib. 6. Eth.
lib. 2. ubi post definitionem Beatitudinis, duo virtutum gene-
ra recenset, cap. 1. cap. 2.

XXXV.

Beatitudo Philosophica consistit in actione animæ quæ
proficitur à virtute seu habitu intellectus, cuiusmodi est scientia
& sapientia, quo habitu qui perfecte præditus est, facile res ca-
ducas & momentaneas despicit, ac mentem ad res æternas con-
vertit, & in his se oblectat, quia non oportet nos humana sape-
re ac sentire, cum simus homines, neq; mortalia cum mortales:
sed nos ipsos, quoad ejus fieri potest, à mortalitate vindicare,
& ea facere quæ menti nostræ sunt convenientissima. quæ etsi
mole parva est, potestate tamen & honoris gradus pene uni-
versas superat. Beatitudo Philosophica lib. 10. Eth. cap. 7. l. 2. ad Eud. cap. 1. l. 1. mag. mor. cap. 35.

XXXVI.

Præterea in contemperatione sitam esse Beatitudinem, hinc
perspicere licet, quod Deos immortales felicissimos & be-
atissimos prædicemus, quorum vita civilis non est, quis enim
dicat eos ideo esse iustos, quod emptione, locatione, stipulatio-
ne, fidejussione, alijsq; contractibus gaudeant? quis eos appel-
let moraliter fortes, quasi res formidolosus subeant ac perferant?
quis eos nominet magnificos, cum nullus sit apud ipsos nummi
usus?

Et

XXXVII.

Lib. 2. Eth.
cap. ul-
timo.

Et cum simplex non sit nostra natura, uti Deorum, ideo desistendum sepe nobis est à functione fœlicitatis Philosophicæ, atq; ad corporis incumbendum necessitates: curandum, inquam, est ut prospera fruamur valetudine, atq; ut bonis fortunæ non penitus destituti simus.

XXXVIII.

Beatitudo
Philoso-
phica non
debet esse
bonis ex-
ternis desti-
tuta 1. Eth.
c. 8. et l. 10.
cap. 8.

Quamquam non videtur tot externis bonis habere opus Beatitudo Philosophica, quam illa civilis, adeo, ut privati homines hoc fœlicitatis genere non minus, ac dynastæ suo bono, gaudere possint: ideo Anaxagoras non divitem neque potentem aliquem, virum Beatum existimasse perhibetur: quippe qui dixerit, mirum sibi non futurum, si multitudini absurdus & ineptus videretur, hæc enim ex rebus externis iudicat, præterea quod hæc tantum percipiat.

XXXIX.

In dialogo
Diogenis
& Alexan-
dri.

Neque audiendus est Lucianus, qui Alexandrum magnum apud inferos inducit asserentem, Aristotelem versutum & callidum virum, nixum fuisse persuadere, munera fortunæ necessaria esse ad summum hominis bonum: ea ut auderet ab ipso petere, & bona fronte recipere,

XL.

Beatitudo
politica
seu civilis,
lib. 1. Eth.
cap. 9. &
10. c. 8.

~~Beatitudo politica seu civilis consistit in actione animæ, quæ proficiscitur à virtute morali optima, in vita perfecta, cuiusmodi est, Iustitia, Fortitudo, Temperantia, & reliquæ virtutibus his cognatæ: intelligimus autem per optimam virtutem, eam quæ in quovis viro beato principaliter & quasi naturaliter inest,~~

XLI.

Virtus ad
Felicitatē
civilem
necessaria
est.

~~Nihil verò est tam naturæ aptum, tam conveniens ad res vel secundas vel adversas, tam necessarium ad tuendam Rempublicam, quam virtus: quam si sustuleris ex natura rerum, neque domus ulla, neq; urbs stare poterit, quæ enim domus tam stabilis, quæ tam firma civitas esse potest, quæ non fuerit propter flagitia, vel à dijs deleta, vel non seipsa evanuerit?~~

XLII.

Civilis
Beatitudo

Opus præterea habet Beatitudo civilis fortunæ bonis: ~~quis enim res ager præclaras, cui nullæ suppetunt facultates? quis Rem-~~

Rempub. defendet? quis liberalitatem aut magnificentiam su. bona ex-
am declarabit? quis propulsabit injurias? quis reliqua vitæ ci-terna flagi-
vilis munia exercebit, absq; opibus, amicis, & copiis? eat.

XLIII.

Sunt deinde quædam res, quibus si careant homines, Fæ-
licitatis splendorem obscurant atq; coinquinant: puta, si in qui-
busdam desit honestas generis, prospera liberorum soboles, cor-
poris venustas; qui enim insigniter est deformis, aut obscuro
loco natus, aut liberos habet omni vitiorum genere coopertos,
quomodo in civili vita vitam aget beatam?

XLIV.

Beatitudo tum civilis, tum Philosophica, etsi non sit à 1. Eth. 6. 9.
Dijs immortalibus dono missa, sed virtute, & doctrina aliqua
humanis mentibus implantata, in rebus tamen divinissimis esse
numerandam, nemo ibit inficias. Virtutis enim præmium &
suas optima quædam res esse, & divina, & beata videtur.

XLV.

Neque cogitandum est, quemadmodum homines parvi, 1. ad Eud.
magni, colore differentes nascuntur, ita se rem habere in sum- cap. 1.
mo Bono, quasi aliqui fælices ac beati, aliqui infelices ac mi-
seri gignantur,

XLVI.

Neque etiam in eam delabi oportet suspicionem, quasi
fortuna homines reddat Beatos: cum admodum sit nefarium &
flagitiosum, rem omnium maximam, & pulcherrimam arbi-
trio fortunæ permittere: alias omnes scientias, & omnes vir-
tutes sublatas oporteret è medio, tanquam res ad Beatam vitam
minimè necessarias.

XLVII.

Habet verò quælibet Beatitudo sua media apta & necessa-
ria quibus paratur. acquiritur enim Beatitudo civilis studio &
exercitatione virtutum, in vita perfecta: puta, si quis Iustitiæ
habitu ita sit præditus, ut facile secundum omnes virtutes ope-
rari possit.

XLVIII.

Philosophica Beatitudo colligitur ex scientia, sapientia,
& reliquorum habituum intellectus operatione: puta, si quis
in Astrologia, atque adeo in universa Philosophia ita sit versa-

rus, ut facili negotio isti studio cæteras res terrenas; excepta virtute, postponat.

XLIX.

Qualem felicitatem fuisse in Platone, nobis videtur extra controversiam ponendum. quide rebus gravissimis differens, ita se oblectavit, ut non amplius mortalis Homo, sed Divinus Plato fuerit appellatus.

L.

Solonis
sententia.

~~Ex Solonis autem sententia, nemo dicendus est Beatus,~~ nisi ubi extremum vitæ diem attigerit: quod tunc primum Homo extra omnium malorum, atque infortuniorum discrimen sit positus: quæ sententia non de naturali hujus vitæ, sed vel de felicitate alterius vitæ est intelligenda, vel certè exploranda.

LI.

Quamvis enim vita præsens multis ærumnis & calamitatibus scateat, ut plurimæ in ea fortunæ vicissitudines sentiantur; tamen cum revera divinum quiddam sit Mens hominis, facilè impetus fortunæ superabit, si scientijs & virtutibus fuerit instructa ac munita.

LII.

~~Opportet fanè actione viri sapientis, nec non virtutibus~~ exculti, esse Dominas fortunæ: aded ut quæcunque ille ager, aut animo cerner, adversus omnes fortunæ flatus valeant. immo in adversis maximè lucere debet viri Beati robur ac vis: non quod doloris sensu careat, sed quia generosi magnique est animi, fortunæ inconstantiam constantia vincere.

Corollaria.

1. An Voluptas sit revera comes Beatitudinis? Aff.
2. An Beatitudo amitti possit? Aff. (Neg.)
3. An Omnis homo habeat potentiam propinquam ad Beatitudinem?
4. An Omnia bonus, & omnis sapiens sit beatus? Neg.

DE VIRTUTIBVS IN GE- nere.

I.



Virtus definitur à Philosopho, *Habitus agendi ad con-* Definitio
virtutis l.
2. Eth. c. 6.
siliu. a capiendum aptus & expeditus, in mediocritate
positus, secundum rectam rationem quoad nos, seu judici-
am Prudentis viri. qua definitione potissimum defi-
nitur virtus moralis: Si tamen pro agendi legas scien-
di, virtuti intellectuali æque conveniet eadem definitio.

II.

Est ergo in primis virtus *habitus*: quia virtus est dispositio 7. Phys. c.
13. lib. 3.
Eth. c. 8.
& lib. 2.
c. 3.
ad perfectionem, *habitu* verò perfectè disponimur ad operan-
dum. Potissimum autem ad tria virtutum *habitus* indigemus
1. ad uniformitatem actionum 2. ut actio in promptu sit 3. ut cum
voluptate actio perficiatur, quod præstat *habitus*.

III.

Obtinet præterea particula *habitus* locum generis in defi- lib. 2. ad
Nicom. c.
5. & se-
quent. lib.
3. cap. 1.
et sequent.
nitione virtutis: ac per eam reiiciuntur potentia & passiones,
cæteraq; id genus, quæ *habitus* non sunt. Dicitur, *habitus agen-*
di: propter *habitus* intellectus, ad quorum ratione non pertinet,
ut actus ab ijs profecti ex delectu fiant. Additur, *in mediocritate po-*
situs: ut reiiciantur *habitus* vitiosi, qui à *mediocritate* deficiunt.
Deniq; adijcitur, *secundum rectam rationem quo ad nos: quia me-*
diocritas non debet esse ex natura rei: sed comparatione sub-
jecti, & ex arbitrio prudentis viri.

IV.

Virtus moralis est *habitus* ex sua natura bonus: quia vir- 2. Eth. c.
5. item in
Categ. c.
de oppos.
~~tus & vitium inter se sunt contraria. Præterea, virtus ex se est~~
habitus agendi in mediocritate positus: igitur virtus ex sua na-
tura inclinatur ad actum bonum, non ad actum, qui recedat à
medio per arbitrium prudentis definito: atq; adeo virtus ex sua
intrinseca ratione est habitus bonus.

V.

Ideo explodenda est opinio Scoti, qui unum eundemque Virtus nõ
est relatio
ut volebat
Scotus 1.
dist. 17.
~~habitu & virtutem esse, & vitium volebat. Censebat enim vir-~~
~~tutem consistere in Relatione conformitatis ad rectam rationem,~~

B

fundata *quest. 2.*

fundata in habitu ex se indifferenti ad bonum & malum, vitium autem similiter in difformitate à recta ratione: posseque eundem habitum, qui antea priorem Relationem obtinebat, posteriolem accipere: quemadmodum videmus eandem superficiem nunc imbui candore, nunc nigredine.

V I.

*Anima est
subjectum
virtutū 6.
Eth. cap. 1.*

Subjectum quarumcunque virtutum est Anima, uti enim in digitis, pedibus, aliisque membris corporis, quidam sunt habitus ad aliquid efficiendum vel tractandum: sic in Animæ facultatibus, quosdam inesse oportet habitus, quibus illa promptè & expeditè suas possit obire functiones.

V II.

*Divisio
Animæ lib.
1. Eth. cap.
ultimo.*

Animæ autem humanæ duæ sunt veluti partes: vna rationis compos; altera rationis expers, quæ utrum distinctæ sint, quemadmodum corporis partes, & quicquid in partes secari potest; an ratione duæ sint, suapte alioqui naturâ indivisæ, ut in rotunda figura ea pars, quæ convexa, & ea quæ concaua dicitur: ad id, quo de nunc agimus, nihil refert.

V III.

*Virtutes
seu habitus
Intellectus
lib. 6. Eth.
cap. 3.*

In parte Animæ rationali insunt habitus intellectuales, cuiusmodi sunt Ars, Prudentia, Scientia, Mens, Sapientia, & Opinio: qui habitus Hominem non reddunt simpliciter bonum, sed κατὰ τὴν duntaxat. Quis enim appellet bonum Philosophum, bonum Musicum, bonum Artificem, simpliciter & absolute bonum, si virtutibus morum, sit destitutus? non enim sunt isti habitus necessario cum virtutibus, aut inter se conexi.

I X.

*Habitus
voluntatis
lib. 5. Eth.
cap. 1.*

Pars rationalis altera est voluntas, cui inest habitus Iustitiæ: quæ definitur constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi. hæc Animæ facultas, reliquas potentias pæne omnes moderatur ac regit, atque ab hac sola Hominis functione denominantur omnes actus humani boni, aut mali moraliter: propterea quod ipsum Bonum morale sit objectum voluntatis.

X.

*Habitus
sensitivi 1.
1. Eth. c.
ult.*

Reliqui habitus, seu virtutes morales omnes insunt in parte irrationali Animæ: quatenus nimirum potentia appetens, &

& potentia ad iracundiam prona, parti rationali Animæ obediunt, ejusque sese imperio submitunt, omnis enim virtus moralis est, aut in voluntate, aut in functione subjecta voluntati, prout ab hac movetur appetitus irrationalis.

XI.

Sunt verò duæ virtutes principales in appetitu sensitivo: Fortitudo, & Temperantia. ad Fortitudinem revocantur magnanimitas, μεγαλοπρέπεια, ὑπομονή, ἐυσθένεια, longanimitas, & perseverantia, ad Temperantiam spectant, εὐτέλεια, ἐγκράτεια, ἀγνοτικῆ, πρᾶοτικῆ, ἐπιείκεια, εὐταξία, ταπεινότης, ἀσεότικῆ, εὐτραπέλεια, & aliæ virtutes his confines.

Lib. 2.
Eth. cap.
6. & lib.
3. cap. 6.
et sequent.

XII.

Atq; ex hætenus dictis patet, duplices esse virtutes: & quasdam dici morales, quasdam verò intellectuales: illas efficere bonos homines: has autem tantum promptos ad contemplandum. illas esse in voluntate, aut appetitu sensitivo: has in solo intellectu, atq; ex duplici isto genere habituum, Hominem, & quo ad corpus, & quo ad Animum reddi meliorem secundum nobilissimas quasdam qualitates.

Discrimen
habituum
Intellectu-
alium &
Moralium

XIII.

Et cum duplex tantum sit appetitus in Homine: vnus rationalis, quo quilibet natura scire desiderat & justè agere debet: alter, quo appetimus ea, quæ ipsis sensibus videntur jucunda ac grata. idcirco plures statuere virtutes humanas, non est necesse: Sed satis esse cuiq; debet, si Animum gerat scientijs, & æquitate excultum: & passiones seu affectus habeat rectæ rationi subjectas, neq; enim nunc loquimur de virtute divina, quam DEVS in nobis sine nobis operatur.

1. Metaph.
cap. 1.

August. 1.
2. de lib.
arbit. c. 8.

XIV.

Virtutes, quæ in Intellectu, seu nobilissima parte Hominis resident, utiles sunt ad Philosophicam Beatitudinem consequendam in hac vita; ut præcedente disputatione à nobis erat dictum. quod enim proprium est cuiusq; naturæ, idem & optimum & jucundissimum cuiq; est: jam verò homini ea vita est optima, quæ menti convenienter traducitur: Hæc igitur vita est Beatissima.

Vsus habituum
intellectu-
alium
10. Eth. c.
7.

XV.

Habitus morales, qui in appetitu sensitivo, & in voluntate oriuntur.

Vsus habituum
moralium
10.
Eth. c. 8.

te oriuntur, utiles sunt ad Fælicitatem politicam seu civilem. Qui habitus absq; habitu intellectus, qui est prudentia, consistere in viro Beato nequeunt: quamvis plurimi habitus intellectuales absq; morali virtute esse possint perfecti.

XVI.

Cic. lib. 1. officiorum M. Tullius omnes habitus intellectus revocat ad Prudentiam; & omnes habitus morales, aut ad justitiam, aut ad temperantiam, aut ad Fortitudinem: ita ut ex ipsius sententia sint quatuor habitus principales, qui reliquas virtutes omnes suo ambitu complectantur.

XVII.

Virtutes intellectus & appetitus non insunt à natura. Nulli verò habitus nobis insunt à natura, sed eos longo usu comparare oportet: loquor autem de habitibus hætenus explicatis, & ad Fælicitatem humanam adipiendam aptis. Nam vegetatricis Animæ virtutes; & auditus, reliquorumque sensuum habitus, cum à natura insint, opus haud habent assuetudine.

XVIII.

2. Eth. cap. 1. lib. 1. mag. mor. cap. 6. lib. 2. ad Eud. c. 2. Virtus porro ἠθικὴ sive moralis, ἀπὸ τῆς ἐθίζεσθαι nomen accepit. Vnde perspicuum est, nullam earum virtutum, quæ ad Animæ partem rationis expertem referuntur, naturâ nobis esse insitas. Siquidem eorum, quæ naturâ sunt, nihil est quod assuetudine aliud evadat: velut lapis, grauiq; prorsus omnia, quæ ferendi deorsum vim insitam habent, si quis ea sursum sæpius jaciat, nunquam tamen sursum ferentur.

XIX.

lib. 2. Eth. cap. 1. & seq. Præterea si virtutes morales nobis naturales forent, nemo ex ijs laudem mereretur, cum nemo, nisi ex libero actu, laudetur. Neq; item possent homines vitijs assuescere: siquidem ad id, quod natura est insitum, nihil proficit contraria assuetudo.

XX.

Astrorum vis non est causa virtutum. Quod verò Astrologi cujusq; hominis temperamentum, aut innatam ac naturalem propensionem ad virtutes, vel ad vitia, è siderum aspectu advertant; id quidem argumento esse posset habitus morales inesse nobis à natura, nisi à veritate sæpius illi aberrassent.

XXI.

Quis enim nescit, humanam naturam in utramq; partem flexibilem.

flexibilem esse, magnamque habere vim ad morum mutationem,
rerum occasiones, consuetudinem, & domesticam discipli- *Virgil. 2o*
nam? sunt quippe ingenia, quasi stirpes & virgulta, quæ si arte *Geor.*
cultuque domentur, facile (ut ait poeta)

Exuerint sylvestrem animum, cultuque frequenti
In quascunque voces artes, haud tarda sequentur:

XXII.

Denique neque Mars, neque Saturnus, neque cætera Astra sunt *Lib. 3. de*
integra causa temperamentum hominis; cum etiam ad id con- *cælo. Ge-*
currat materiae dispositio, & virtus formatrix à parentibus si- *nethliaci de*
mul cum humido primigenio derivata, quin verò licet Geneth- *virtutibus*
liaci ad Astrologiam Medicinæ artem adjungant, ut alicujus *mor. parū*
ingenium explorent, non proinde tamen futuros illos mores, *aut nihil*
& vitæ rationem cognoscent; sed aliquas duntaxat inclinatio- *possunt*
nes ad certas virtutes, & vitia expriment, quæ disciplina & *prædicere.*
consuetudine mutari & corrigi possunt.

XXIII.

Ab Ethicis igitur removendi sunt Genethliaci, qui in fa- *Ptolomæ*
torum assignatione multa comminiscuntur; & retinenda est *in Centi-*
illa Ptolomæi sententia: Sapiens dominabitur Astris, & illi *loq.*
Poætæ versus:

Quam falso accusant superos, stultique queruntur
Mortales! etenim nostrorum causa malorum
Non sumus, & sua quemque magis vecordia lædit.

*Quo sensu
virtus sit
homini na-*

XXIV.

Si tamen naturale idem sit, quod conveniens naturæ hu- *turalis*
manæ; sic non negamus habitus morales, & intellectuales ho- *Plato in*
mini esse naturales. Homo enim per naturam propendet ad *Meno ne,*
cognitionem veri, & ad appetitionem boni: ac naturaliter sci- *& Euthy-*
re desiderat, & bono delectatur, atque hoc sensu sæpe etiam *demo.*
Plato solitus fuit disputare de virtute seu habitu naturali.

XXV.

Omnis virtus, præsertim moralis, in Medio seu medio- *Virtus est*
critate consistit, cum nullum sit Bonum hujus vitæ, quod non *in medio*
perpetuas gerat inimicitias cum Malo aliquo: & nulla tanta *2. Eth. c.*
veritas, quæ ab incurfione falsi omnino sit libera, cum igitur *6. l. 5. 2o*
virtutem utrinque circumstant vitia; & veritati falso atque *3. lib. 1.*

B 3.

*absur- mag. mor.
c. 9o*

absurda insidientur, in Medio omnis collocata dicitur virtus.
XXVI.

lib. 2. Eth. cap. 6. Quod ad μεσότης habitus intellectualis attinet, hæc habet Philosophus: omnis sciens, inquit, nimium & parum fugit: mediocritatem exquirat, atque hanc exoptat: mediocritatem, inquam, non rei, sed eam, quæ nobis est μεσότης. item: Scientia omnis ita demum bene suum munus explet & absoluit, si μεσότης sibi ob oculos proponat, eoque suas revocet functiones.

XXVII.

Lib. 2. ad Eudem. c. 3. & 5. In virtutibus moralibus id est evidens & manifestum. E. G. Fortitudo dicitur esse in medio, hoc est, inter audaciam & timorem constituta, quorum alterum in excessu peccat, alterum in defectu. quæ vitia non solum virtuti, sed sibi ipsis etiam repugnant: timor enim audaciæ quoque contrarius est.

XXVIII.

Duobus modis est virtus in medio. Duplici respectu virtus dicitur esse in medio: vel quo ad ὁσίαν, quatenus est habitus inter duo vitia medius: vel quo ad objectum, quatenus in id, quod rationi consentaneum est, tendit: quod in definitione virtutis significavit Philosophus illis verbis, ea quæ ad nos est definita ratione: id est, virtus consistit in mediocritate secundum omnes circumstantias prudentiæ regula præscriptas.

XXIX.

Medium aliud ab solutum, aliud relativum. Deinde Medium, aut est constitutum ex natura rei, aut sumitur respectu nostri intellectus. Medium ex natura rei est, quod æquè ab utroque extremo distat: quo pacto senarius medius est inter denarium & binarium. Medium respectu nostri est, quod ad nos collatum, neque exsuperat, neque deficit: quo modo ea cibi portio, quæ Socrati pro ipsius temperamento convenit dicitur medium respectu illius.

XXX.

2. Eth. c. 6. lib. 5. c. 3.4 & 5. Omnis virtus moralis consistit in medio, quo ad objectum: & in medio, quo ad ὁσίαν: excepta virtute voluntatis, quæ non videtur inter duo extrema collocanda. præterea, cum virtutes morales, quæ circa passiones versantur, hominem ad se ipsum ordinant, in medio respectu nostri constitutæ videntur: Iustitia tamen, quia operationes ad alterum dirigit, in medio ex natura rei reperitur.

Sunt

XXXI.

Sunt etiam omnes virtutes morales hac lege inter se con-
nexæ, ut una non possit consistere perfecto quodam modo in
Homine, absque cæteris. perspicuum est, inquit Philosophus,
nec sine Prudentia quenquam virum bonum esse posse, nec Pru-
dentem, sine virtute ea, quæ ad mores pertinet.

*Virtutes
sunt inter
se conexæ
6. Eth. c. 12.*

XXXII.

Immo nec cæteræ virtutes à se inuicem dissociandæ sunt,
quis enim liberalitatem in omni eventu exercebit, si careat Iu-
stitia & temperantia? aut quis absque liberalitate, alicujus Ma-
gnificentiam prædicare poterit?

*Plato in l.
de Regno.
Cic. 2.
in sc. quest.*

XXXIII.

Sed, quainvis habitus morales sint inter se connexi, non
tamen omnes in eodem homine inter se sunt æquales: Sed
multos reperies fortes, multos justos, qui non æquè sint tem-
perantes, aut Prudentes: idem contingit in habitibus intelle-
ctus, dum alter alterum scientia, aut arte superat.

*2. Eth. c.
6.*

XXXIV.

Cur nemo possit dici prudens, aut justus, absque Fortitu-
dine & cæteris virtutibus, illa viderur esse ratio: quod habitus
virtutis moralis efficere debeat subjectum bonum: bono autem
malum admixtum, efficiat subjectum malum. E. G. ut quis di-
catur æger, satis est, si stomachus, aut caput doleat: ut verò
quis dicatur sanus, non sufficit capitis, aut stomachi valetudo,
sed oportet etiam reliqua membra esse sana. malum itaque mul-
tiplex: at boni vnica ratio est.

*ratio con-
nexionis
inter habi-
tus mora-
les lib. 1.
mag. mor.
cap. 25.*

XXXV.

Quod denique ipsam durationem virtutum attinet, pau-
ca quædam dicenda sunt. Quidam enim negant, post hanc vi-
tam in nobis remanere habitus morales: tum, quod appetitus
irrationalis totus se compositurus sit, ad rectæ rationis judici-
um: tum, quod inter Deos neque nummus, neque contractus,
neque terrores ulli futuri sint.

*de durati-
one Virtu-
tum.*

XXXVI.

Quis enim Divos appellet Fortes, quasi res formidolo-
sas & pericula mortis subeant? quis eos appellet Liberales,
vbi nemo futurus sit nummorum egens? quis eorum laudibus
extollet

*l. 10. Eth.
cap. 8. &
Matth. 22.
v. 30.*



extoller Temperantiam, cum nulla cupiditate amplius vexentur? at neque Iustitia moralis ipsis competere videtur, cum neque deposita reddant, neque inter se contrahant.

XXXVII.

quo pacto perdurent virtutes. Sed tamen, haud penitus tollendi sunt à Divis virtutes morales, quatenus sunt habitus boni ac perfecti: aliud enim est aestimare materiam horum habituum: aliud expendere ipsos habitus formaliter, hoc est, quatenus statum praesentis vitae reddunt meliorem, atque hoc posteriore modo, non est dubium remanere virtutes in Beatis.

XXXVIII.

Aug. l. 14. de Trinit. Quod sententia Augustini luculenter attestatur Prudentia, inquit, ibi erit sine ullo periculo erroris: Fortitudo, sine molestia tollerandorum malorum: Temperantia, sine repugnatione libidinum: Iustitia praeter ceteris vigebit virtutibus, quia tunc perfecte erimus subiecti Deo.

XXXIX.

de habitibus intellectus 1. Cor. 13. v. 9. 3. de anim. & lib. cat. Quod verò ad habitus Intellectus attinet, videntur ij post hanc vitam non remanere in homine: tum, quod per phantasmata is tunc non cognoscet: tum, quod aperte asserat scriptura, nos nunc ex parte tantum cognoscere, & scientiam destructum iri. Cui etiam consonat illud Philosophi, scientia est qualitas mobilis.

XL.

Luc. 16. v. 25. in hist. Lazari. Negandum tamen non est, species rerum cognitarum remansuras esse in Divinorum intellectu, post hanc vitam licet is absque phantasmate corporali sua functione sit usus, quid enim aliud est meminisse & recordari, quam scientiam praeteritorum retinere?

XLI.

Aug. l. 2. de lib. arb. cap. 8. Atque haec dicta sufficiant de habitibus seu virtutibus in genere, quatenus ad praesentem spectant materiam, quam tractamus Ethicam. Virtutes enim illae, quas Deus in nobis, sine nobis operatur, ad S. Theologiam spectant.

DE VOLUNTATE.

I.



Quasdam esse Virtutes in Intellectu, quasdam in Voluntate, quasdam in Appetitu sensitivo sitas, dictam à nobis fuit disputatione altera: de quibus singulis hic agendum foret, nisi singula facultates Animæ peculiare exposcere operas viderentur.

Tria Virtutum subiecta

II.

Agemus verò præsentem tantum de voluntate Homi- nis: de Appetitu sensitivo dicemus disputatione sequente: De Intellectiva potentia differemus tum, ubi ad Prudentiam fuerit per- ventum.

lib. 3. lib. 6. Ethic.

III.

Inesse in humanis actibus voluntarium, veluti principium harum thesium supponi debet: idque ex his rebus, quæ moventur, eliciendum est, quædam enim interno sui motus principio carent, ut lapis: quædam internum quidem habent principium, sed finem materialiter tantum, id est, sub ratione boni & convenientis apprehendunt: quædam etiam formaliter, id est, finem cum suis medijs cognoscunt, ut Homo.

Num de voluntarium & Ethic. cap. 10.

III.

Quæcumque igitur habitudinem seu proportionem mediocri ad finem consequendum formaliter cognoscunt, in his proprie reperitur voluntarium, quia ex delectu & propria intentione operantur, sequitur in finem ordinant: qualem esse diximus Hominem, cuius voluntas præeuntem Intellectus deliberationem sequitur.

Quidnam sit voluntarium &

V.

Non sunt ista duo confundenda: agere propter finem: & voluntarie operari, quia omnes res naturales finis alicujus gratiã operantur, non tamen omnes voluntarie agunt, quoniam etiam ea, quæ finis notitia prorsus carent, propter finem agere dicuntur: diriguntur enim in finem ab aliqua superiore causa, hoc est, ab ipso Autore naturæ.

Voluntarie et propter finem agere differunt.

VI.

Quemadmodum sagitta, licet motus sui ignara sit, impetu tantum & directione jaculantis in scopum tendit: sic naturæ opifex, qui

Inanimatarum actio.

C

qui rerum omnium fines cognitione comprehendit, propensionem ac vires subministrat rebus universis, ad suos obtinendos fines.

VII.

Them. 1.
de Anim. com. 23.
Aver. 12.
met. com. 12.
Eoq; spectat illud Themistij, & Averrois sermone tritum: opus naturæ, est opus Intelligentiæ: id est, dum natura in opus incumbit, à prima Intelligentia, hoc est, à Deo, quasi divinæ artis instrumentum, movetur, & Artificis ratione dirigitur.

VIII.

Gal. lib. 1.
& lib. 6.
Hinc est, quod Hippocrates naturam, modò indoctam vocat: modò doctam, quod imitatus est Galenus, libro de usu partium; & libro de locis affectis: videlicet indoctam vocant, quia in se consilij & deliberationis expertus est: doctam, quatenus ejus operibus Intelligentia instat, ipsamq; regit.

IX.

Bruta, &
Pueri sponte agunt
lib. 3.
cap. 2.
Bruta verò animalia, & pueri, non cæco quodam naturæ impetu agunt, sed habent in semetipsis principium agendi, adeo, ut sponte operari dicantur. verùm cum ejusmodi appetitus non dirigatur ab intellectu, sed solum ab objecto naturæ conveniente, bono, & apto provocetur, idcirco improprie appellari voluntas consuevit, cum potius appetitus sensivus dici debeat.

X.

lib. 3.
cap. 4.
In solo igitur Homine reperitur voluntas, que etiam ob id appetitus rationalis dicitur. Si enim is ignorans peccet, non continuo voluntarium scelus patrasse existimandus est: eò quod Hominis voluntas, non modò sit appetitus aliquis, sed appetitus in utramq; partem versatilis, ac liber.

XI.

Libertas voluntatis
lib. 3. cap. 1. & seq.
Propterea ex libertate quadam sibi innatâ æstimanda est voluntas humana; cujus libertatis principium, ac veluti radix sit intellectus. libertas quippe dicitur, quando aliquid, ut libet, eligimus, libet verò voluntati tum eligere, cum intellectus sua luce objectum aliquod illustravit, & voluntati proposuit.

Omnia

XII.

Omnis autem voluntas, atq; aded omnis appetitus fertur in Bonum. cum verò non minus intellectus, quam sensus falli possit, contingit saepe ut ea velimus, quæ quidem bona non sunt, sed bona esse tantum apparent. præsertim in ijs, qui suis passionibus serviunt. & interim rectæ rationis vim negligunt.

Voluntas
tis obiecta
est, Bonum.
lib.
5, cap. 2.

XIII.

Bonum, quod à Voluntate appetitur, non semper est finis, sed etiam ipsamet media ordinata in finem: quemadmodum visus non tantum est coloris, sed etiam luminis, quo mediante colorem videmus. Si tamen Voluntas sumatur pro actu, & non pro facultate, tum potius est finis, quam mediorum: omnis enim actio voluntatis, intellectus, aut sensus alicujus, denominatur ab actu illius potentia.

Voluntas
& media
vult & finem bonum.

XIII.

Et quamvis Bonum & Finis saepe pro eadem re sumantur, non tamen est necesse, ut voluntas id, quod sua naturâ bonum est, apprehendat ut finem. E. G. aurum per se bonum est, & tamen à sui contemptore minimè procuratur aut appetitur: atq; ita respectu illius non habet rationem finis, etsi in se actu bonum quidpiam sit.

Finis &
Bonum
aliquo differunt.

XV.

Diverso etiam modo tendit voluntas in finem, & in media quibus paratur finis. finem enim volumus absolutè & per se: media autem vult nemo, nisi propter finem. aut quis est tam stolidus, qui à Medico petat purgationes, amaras potiones, collyria, emplastra, non præcavendæ vel tollendæ ægritudinis ergo?

Finis propter se, media propter finem

XVI.

Actio, qua voluntas vult media, nominatur Electio: postquam enim voluntati diversa proponit media intellectus, illico voluntas aliqua acceptat, & aliqua recusat, aut negligit. deinde, Electio tantum est mediorum, & non finis: nemo enim consultat utrum esse velit Beatus. Sed nunc de Motu voluntatis differamus.

Electio tantum est mediorum.

XVII.

Moueri facultatem Animæ ab aliquo, aliud nihil est, quam ab illo, quod actu est, de potentia ad actum educi: jam verò constat

Voluntas ab aliquo movetur.



voluntatem esse ejusmodi potentiam, quæ complures actus, etiam inter se pugnantes, diverso tempore edere possit: ac proinde opus habere, ut à facultate superiore ad agendum provocetur.

XVIII.

Propter
duo requi-
ritur aliud
moyens,

Bisariam autem potest aliqua facultas Anima esse in potentia: nimirum, vel quoad eliciendam, aut non eliciendam functionem: vel quoad hoc, illudvè agendum: hinc fit, ut duobus modis prædicta facultas indigeat moyente, à quo ad actum producat: uno, quo ad actus exercitium: altero, quo ad determinationem illius ad certam speciem.

XIX.

Voluntas
mover in-
tellectum
ad cogis-
tandum,

Voluntas quoad exercitium movet intellectum, sicut & reli-
quas potentias actuum humanorum: quia principium actus cujusque
potentia activa, est ex fine: finis verò actuum intellectus contine-
tur sub fine voluntatis: idcirco intellectus ad actus suos eliciendos
à voluntate moveri debet.

XX.

Diximus, actuum humanorum: quia ad actus subitos, qui omnem actum voluntatis anteverunt, non movetur intellectus à voluntate: sed ab objecto, interveniente specie intelligibili & phantasmate.

Intellectus
mover vo-
luntate ad
agendum,

Intellectus quo ad speciem actus, id est, ad hunc, vel illum actum eliciendum, movet voluntatem: quia intellectus proponit voluntati objectum, à quo, tanquam à principio externo, actus voluntatis determinantur & speciem sortiuntur.

XXI.

Idem nec
quit esse
moyens et
motum si-
mul,

Hinc tamen non sequitur, idem secundum idem esse simul moyens & motum, quia cum voluntas movet intellectum ad eliciendam notitiam alicujus rei: non concurrunt tunc intellectus per eandem notitiam ad illammet actionem voluntatis, sed ad aliam.

XXII.

Res exemplo evadet manifesta. movet E. G. voluntas intel-
lectum ad deliberandum, judiciumque ferendum de Pharmaco: in-
tellectus per hanc actionem non concurrunt cum voluntate ad illummet
actum, quo ipsum voluntas movit, sed ad alium: nempe ad ele-
ctionem Pharmaci, quod ei, ut conveniens ad obtinendam valetu-
dinem, representat.

Quæ-

XXIII.

Quaecunq; potentia voluntatis imperio subijciuntur, eas active movet voluntas ad actus suos exercendos: etenim principium motionis cujusq; potentia activa, est ex fine, cum omne agens gratia finis operetur, bonum autem in commune, quod rationem finis habet, est objectum voluntatis, ergo voluntas reliquas potentias ad suorum actuum exercitium movet.

Voluntas movet reliquas potentias.

XXIII.

Præstat verò voluntas hanc motionem, non apponendo aliquid ad potentias ceteras, quasi prævium aliquem ipsis injiciat motum; ut cum quis admovet securim ad cædenda ligna, imprimendo illi impulsus: cum talis motio superflua omnino sit, non tantum in potentijs humanis, sed in omnibus etiam rebus physicis.

lib. 7. Phys. 2. 1. & lib. 8. cap. 8.

XXV.

Sed voluntas movet reliquas potentias, concurrendo cum illis tanquam causa universalis: ita ut ex potentia, qua cum voluntas concurrat, & ex ipsa voluntate, fiat una integra causa, à qua una eademq; numero actio oritur. voluntas enim fertur tum in bonum in commune, tum in bonum illud, quod cetera potentia sigillatim expetunt.

Voluntas movet ut causa universalis.

XXVI.

Duplex porro est imperium, quo voluntas reliquas potentias movet: alterum despoticum: politicum alterum. despoticum dicitur, quo dominus imperat servis, qui facultatem resistendi non habent, cum non sint sui juris. politicum appellatur, quo princeps, aut consul suis imperat civibus, qui tamen illius præceptis obediunt, tamen cum liberi sint, aliquid sui juris retinent.

Duplex imperium voluntatis 1. Polit. c. 3. lib. 1. Eth. c. ult.

XXVII.

Quod ad sensus internos attinet, manifestum est, eos imperio duntaxat politico moveri à voluntate, cujusmodi sunt, phantasia, & memoria: sæpe enim reminiscimur eorum, quæ voluntati ex diametro repugnant: & sopita per noctis quietem voluntate, quasdam agitat rerum imagines phantasia

Internos sensus ut moveat voluntas.

XXVIII.

Immo, interdum etiam phantasia præter voluntatis decretum operatur: quod quidem accidit, 1. ex præsentia objectorum, quorum species dum in sensus externos incurrunt, mox ad sensum in-

C. 3. ternum.



Motus Phantasiae. *ternum transfiliunt. 2. ex instigatione spirituum, qui imagines in memoria assernatas huc illuc transferunt, vel etiam novas suggerunt, ut hominem ad cogitandum excitent. 3. ex affectu appetitus sensitivi, cum per se notum sit, ijs magis affligi internum sensum, ad quæ appetitus majori impetu rapitur,*

XXIX.

Motus externorum membrorum. *Præterea, externa corporis membra, nec non organa sensuum quoad actus exercitium, despotico imperio subsunt Voluntati. quis enim manum, aut pedem absq; voluntatis nutu movere potest? an non, venia prius obtenta à voluntate, sensus exteriores in sua feruntur objecta absentia?*

XXX.

Motus internorum membrorum. *Interna autem corporis membra, cuiusmodi sunt cor, jecur, pulmo, renes, nervi, & reliqua organa ad augendam vitam necessaria, haudquaquam subsunt dominio voluntatis, sed naturali suo impetu moventur, eandem necessitatem agendi obtinent sensus exteriores, præsentibus objectis: posito enim colore & luce, oculus necessariò videt, similiter reliquos sensus sua movent objecta ad speciem actus.*

XXXI.

Motus appetitus sensitivi. *Appetitus sensitivus imperio politico movetur à voluntate, cum is passim rapiatur in bonum sensui conveniens, contra iudicium rationis, & spreta voluntatis cohibitione, de hoc appetitu loquitur Paulus, cum inquit: video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.*

Rom. 7.

XXXII.

Pugna voluntatis & appetitus. *Oritur verò hæc pugna inter appetitum rationalem, & appetitum sensitivum, ex eo: quod objecta prius moveant sensus externos, & hi rursus excitent phantasiam seu imaginationem, quæ cum voluntati non sit nisi politico imperio subiecta, fit ut ea contra nutum voluntatis moveat appetitum.*

XXXIII.

Causæ materiales passionum. *Pro diversitate enim humorum cæterarumq; qualitatum, in diversas quodammodo partes rapitur appetitus sensitivus: puta, si is, qui calido est temperamento, videat & per Phantasiam apprehendat hostem, illico exardescet, atq; in appetitu concitabitur ira,*

ira, quantumvis recta ratio & voluntas in contrariam abeant partem. similiter qui alio temperamento fuerit praeditus, alias experietur passiones.

XXXIV.

Ex quo patet, quàm exiguum habeat imperium voluntas in appetitum sensitivum: cum illa hunc non $\alpha\mu\epsilon\sigma\omega\epsilon\varsigma$ moveat, sed ministerio phantasiae: quae, cum voluntati non necessario obediat, non necessario etiam in officio continere potest appetitum, quando ipsi libuerit.

Exiguum
ius volun-
tatis in appetit.

XXXV.

Denique cum passiones appetitus sint aliquando adeo vehementes, ut spreto voluntatis imperio prone ruant in sua objecta, hinc fit ut quandoque externa corporis membra contra voluntatis nutum secum rapiant: ut patet in ijs, qui subito ira aestuantes furias etiam manus alteri inferunt, quod sui imperij voluntas tunc non sit compos.

Vis appetit
tus sensitiv
vi.

XXXVI.

Et quamvis Appetitus sensitivus nullum habeat jus in voluntatem: cum appetitus superior impellat inferiorem, sicuti in caelesti mundi sphaera superior inferiorem rapit, nihilominus voluntatem ab appetitu sensitivo suo modo moveri, id communis testatur experientia.

lib. 3. de
anim. cap.
11.

XXXVII.

Nemo enim est, qui non sentiat, aut dolore, aut letitia, aut odio, aut iracundia inclinari voluntatem, non tamen propterea fatendum est, aliquo imperio vel politico, vel despotico moveri voluntatem: cum sufficiens causa motus esse possit ex parte objecti.

Appetitus
moveri vo-
luntatem.

XXXVIII.

Interveniente enim notitia intellectus, proponitur voluntati applectendum aut declinandum idem objectum, quod paulo ante ab appetitu sensitivo fuerat, vel ut bonum, vel ut malum apprehensum, quod quidem duobus contingit modis,

Duobus
modis
moveri vo-
luntatem.

Primus



XXXIX.

Primus
modus
lib. 3. ad
Nic. cap. 5.
& 1. Rhet.

Primus modus contingit, quando passio appetitus in causa est, ut intellectus hoc aut illo modo, aliter atque aliter de re iudicet. Unde illud Aristotelis: qualis quisque est, talis ei finis esse videtur. item: non eadem videntur amantibus, & odio habentibus, quo fit, ut voluntas, sequens iudicium intellectus, idem velit aut repudiet, quod appetitus.

XL.

Secundus
modus.

Alter modus, quo appetitus sensitivus movet voluntatem, est, per notitiam interni sensus, quam ipse sequitur: quatenus sensuum phantasmata determinant intellectum ad huius vel illius rei perceptionem. atque hactenus de voluntate, quatenus ipsa ceteras movet potentias, aut ab ipsis vicissim movetur.

XLI.

Quod verò ad causas externas attinet, à quibus moveri voluntas putatur, pauca quaedam tantum dicenda sunt, ne aliquid circa motum voluntatis omisisse videamur.

XLII.

num astra
moveant
voluntas
cem.

Quidam enim eam vim ascribunt astris, ut autument ab ijs hominis voluntatem regi ac gubernari posse. qua de re consule D. Augusti, lib. 10. de Civitat. Dei cap. 11. & lib. 12. cap. 6. & D. Hieron. ad cap. 4. Matth. nec non Chrysostr. ibidem.

XLIII.

lib. 3. ad
Nic. cap. 4

Nostra hæc est sententia, corpora caelestia agere posse in voluntatem humanam indirecta motione, directa verò non. prior pars patet ex eo: quod stellæ possint movere organa, quibus corporeæ vires insident; imbuendo videlicet ea varijs qualitatibus, quibus potentia ad hunc aut illum effectum permoveantur.

XLIV.

Posterior pars suadetur ex eo; quia cum voluntas sit potentia materiae expers, fieri nequit ut à corporibus caelestibus quicquam directo patiatur.

XLV.

Postremo, si astra necessario regerent voluntatem, & humanae actiones sphaerarum caelestium vi administrarentur, non jam essent liberae, sed naturales: non homo ageret, sed belluarum more ageretur, nullaque superesset ratio consilij, cum caelum necessario ac naturaliter agat.

FINIS.

De appetitu sensitivo ejusq; passionibus.

I.



Actenus de Appetitu rationali seu voluntate à nobis fuit disputatum; nunc de Appetitu sensitivo, quæ rationis experta est, movendæ sunt quæstiones, quatenus ad præsens nostrum institutum spectare videbuntur.

II.

Est autem Appetitus sensitivus desiderium Homini innatum, quo is fertur in bonum suæ naturæ conveniens, præeunte ^{quid sit ap}notitia sensus; quemadmodum Appetitus rationalis is dicitur, ^{petitus}sensitivus, quem præcurrit notitia intellectus, seu cognitio, ^{sensitivus.}

III.

Appetitus irrationalis seu sensitivus duplex est: irascibilis ^{duplex ap}vnus, & alter concupiscibilis, quia sicuti alijs rebus naturalibus ^{petitus}corruptioni obnoxius, non solum convenit inclinatio ac vis, ad ^{sensitivus.}consectanda sibi convenientia & fugienda adversa, sed etiam ad resistendum contrarijs: ita oportet in sensitiva parte dari duplicem vim appetentem.

IV.

Quemadmodum enim ignis, non solum habet inclinationem ut ima deserat, & ad summa euadat: Sed etiam calorem ^{lib. I mag.}obtinere, ut ijs quæ sibi perniciem moliuntur, obsistat. Ita requiritur in Appetitu sensitivo vis quædam, qua animal inclinatur ^{mor. c. 13.}ad prosequenda bona, & devitanda noxia: & requiritur vis ^{Plato 4.}quædam, quæ propulset adversantia, & obluetetur ijs, quæ ^{de Repub.}utilia impedire, vel quoquo modo nocumentum inferre ^{Alb. mag.}videntur, ^{3. de anim.} ^{tract. 4.} ^{c. 2.}

V.

Ac prior quidem vis concupiscibilis, altera irascibilis nuncupari solet. atq; hæc posterior differt à priori, quod illa tendat in bonum sensibile absolutè: hæc in bonum etiam sensibile, sed tamen quatenus difficile & arduum.

VI.

Quod verò prædicti appetitus reipsa distincti sint, ex eo ^{Hippocra}etiam ostendi potest, quod non in eadem cordis parte uterq; ^{tes, Zeno}residet, ^D ^{sideat,}

Posidoni- iudeat, sed locis aliquantulum discretis, ob diversam qualitatum
us, Arist. mixtionem, quam Ira & Cupiditas exigunt, ira enim affluentia
Theophra caloris & siccitatis gaudet: cupiditas abundantiam humiditatis
stus. &c. & caloris exposcit.

VII.

Concupi- Inter hos Appetitus, irascibilis dignitate est posterior:
scibilis est propterea quod irascendi vis sit veluti propugnatrix concupi-
præstan- scentia, dum arma corripit, certatq; adversus ea, quæ res con-
tior. s. de cupiscibili gratas ac jucundas impediunt, & noxias inuehere
hist. an. conantur. atq; hoc est quod insinuare volebat. Philosophus cum
c. 1. ait: *animalia irascuntur & pugnant propter ea, quæ concupiscunt.*

VIII.

Uterq; ap- Habet autem uterq; appetitus suas passiones proprias. qui-
petitus bus natura animalis à naturali sua dispositione ad non natura-
suas habet lem deiicitur. quarum hæc esse potest definitio generalis: $\pi\acute{\alpha}\theta\eta$ sunt
passiones. motus appetitus sensitivi, ex apprehensione boni vel mali, cum
aliqua mutatione non naturali corporis.

IX.

Motus Cor enim perenni dilatationis, & contractionis motu ci-
cordis re etur, qui motus naturæ animalium conveniens est & naturalis,
gularis et quamdiu fit certa quadam intensione, quæ cum ipsorum tempe-
irr. ramento habeat proportionem: quod si ab ea intensione rece-
dat, fit ille motus non accommodatus naturæ.

X.

Transm. Inter omnes ergo actus humanos, ij duntaxat, qui ad ap-
corporis a petitum sensitivum pertinent, suapte natura semper sunt cum
motu cor- aliqua transmutatione corporis. cuius rei ea est ratio, qui hos
dis. tantum actus proximè ac per se consequitur incitatio, aut remis-
sio motus.

XI.

Cor suo Enimvero si actus appetitus sensitivi ad fugam retracti-
motu cau- onemue spectent, ut timor & tristitia, remissionem efficiunt in
sat passio- motu dilatationis, proindeq; maiorem contractionem: si verò
nes. pertineant ad prosecutionem delectationemq;, ut amor & læ-
titia, maiorem invehunt cordis dilatationem.

XII.

Passiones Passiones illæ, quas $\epsilon\upsilon\pi\alpha\theta\epsilon\iota\alpha\varsigma$ vocant, etiam in eos ca-
sunt mate dunt, qui veræ sapientiæ, & magnarum virtutum ornamentis
præditi

præditi sunt; cum naturaliter in appetitu oriantur. Immo cum appetitus rationalis dominium in eas obtineat, ex his ipsis passionibus morales virtutes, quales sunt Fortitudo & Temperantia, efformat.

XIII.

Plato in Theæteto affirmat, eas passiones, quæ nomen habent, multas esse: quæ carent nomine, innumeras. Homo, inquit, est quali monstrum & Sphynx quædam, ex variorum animalium partibus conflatus: cuius cupiditas pars latissima est, multa bestiarum, id est, passionum capita in se continens.

XIV.

Idem Plato in Timæo sex enumerat perturbationes seu passiones: *Voluptatem & dolorem*, tanquam principia: quibus accedant *audacia & metus, ira & spes*. Cicero, Boëtius, & Virgilius Maro, quatuor species passionum recensent; *gaudium, tristitiam, spem, & timorem*:

Hinc metuunt, cupiuntq;, dolent, gaudentq; &c.

XV.

Si passionum genus accuratè dividere velimus, undecim inveniemus species distinctas; quædam enim referuntur ad bonum aut malum simpliciter, quæ ad appetitum concupiscibilem spectant, quarum tres sunt respectu boni, & totidem respectu mali: quædam referuntur ad bonum arduum, quæ ex irascibili vi prodeunt, quæ sunt numero quinque.

XVI.

Numerus passionum in digniore appetitu, sic colligitur. Proposita re bona ac pulchra excitatur *Amor* in homine: quod si res amata absens sit, oritur *Desiderium*: si præsens, gaudium atq; *Letitia*. Proposita re mala gignitur *Odiûm* in appetitu: si res mala ac odiosa absens sit, concitatur *Fuga*: si præsens, dolor atq; *Tristitia*.

XVII.

Alterius appetitus passiones quinque, hac arte deprehenduntur. Proposita re bona ardua atq; difficili, exsurgit *spes* in appetitu, si eam nos posse consequi arbitramur: si minus, adest *Desperatio*. Proposita re mala ardua, ea si absens adhuc sit, in quibusdam *Timor*, in quibusdam *Audacia* apparet: Si res ardua eaq; mala præsens sit, *ira* exardescimus ad profligandum malum.



XVIII.

de Amoris passione. Amor itaq; est prima possionum, quæ definitur Appetitus: tendens in id quod naturaliter bonum est, aut bonum esse putatur, adeo ut prima ratio Amoris, sit bonum, altera, similitudo: simile enim simili delectatur. 3. apprehensio boni, aut similis: quia ignoti nulla cupido.

XIX.

Ouid. lib. 4. meta; mor. Amor pectore clausus multò est iniquietior, quàm cui fores patent: uti ignis collectus, magis, quàm dissipatus urit: quoq; magis tegitur tectus magis aestuat ignis, & quod voce non audet, id sæpe nutu & signis loquitur. *Et quo non possum, inquit, corpore, mente feror.*

XX.

Opinio Phil. de Amore. Veteres Philosophi cum cernerent, Amorem res unire atq; conjungere, eò usq; progressi sunt, ut asserent, Amorem esse rerum naturalium principium: qui persuasum habebant, amore atq; concordia res physicas gigni: discordia autem rursum dissolvi ac interire.

XXI.

Cuius opinionis primus autor fuisse censerur Empedocles: à qua etiam non abhorruit Hesiodus, qui dicebat, primum chaos genitum esse: deinde latam terram: & deniq; Amorem, qui res neceret, ipsisq; adferret decus & ornamentum, tandem Parmenides ipsum appellavit D E V M quendam, cui consonat illud Poëtæ.

Propert. lib. 2. eleg.

*Quicumq; ille fuit puerum qui finxit Amorem,
Nonne putas miras hunc habuisse manus?*

XXII.

Ingens calcar Amori addunt, juvenus, opes, otium, luxus, & similia irritamenta appetitus: quod item vericulis expressit Vates:

Seneca in Octavia.

*Vis magna mentis, blandus atq; animi calor
Amor est, juvenæ gignitur luxu, otio
Nutritur inter lata fortune bona,*

XXIII.

Amor aliquando noxius est, aliquando utilis. nocet tum Amor, ubi fuerit indiscretus, & absq; modo ac mensura adhibitus: quia cor, & reliqua corporis viscera si nimium dilatentur,
no a b^a

notabilem post se relinquunt languorem, viresq; humanas ener-
vant. utilis est, si sit moderatus: quia objectum debite applica-
tum ad suam potentiam, eam perficit. Quid.

Si quis amat quod amare iuvat, feliciter ardet:

Gandeat, & vento nauiget ille suo.

XXIV.

Passio Amori opposita, est *Odium*: quod proficiscitur ex
offensione animi aduersantis malum, aut alicuius vel facto, vel
dicto læsi, vel se læsum opinantis, & interdum occulta quadam
naturæ vi ab alterius Amicitia abhorrentis: idcirco materia odij
potest esse Malum apparens, quemadmodum Bonum adumbra-
tum sæpe est materia Amoris.

XXV.

Deinde, sicuti Amore copulantur homines, ut, quos di-
ligunt quasi præsentis cernant: ita odio dissociantur, & dissol-
vuntur etiam ea quæ conjunctissima fuerunt, qua passione nihil
est in humana societate perniciosius: quæq; eò est grauior,
quantò premit magis occultè.

XXVI.

Odisse vitia prodest: Sed hominem amare charitas suadet.
vitia, inquam, odisse oportet: quia mores Amici sæpe non sunt
vitia, quos si non noveris, haud rectè oderis. & ingenuum ma-
gis est apertè odisse, quam fronte occultare sententiam.

XXVII.

Desiderium est cupiditas eius boni, quod nondum posside-
tur, oritur hæc passio sæpe ex Amore, quatenus tendit in bo-
num abtens, quo cum amans conjungi desiderat. quæ si fines si-
bi præscriptos transgrediatur, procreat luxum, auaritiam, am-
bitionem, aliaq; haud leuia vitia.

XXVIII.

Desiderium si pro cupiditate usurpetur, triplicem obtinet
formam. 1. ut cum recta ratione & lege divina conspirat, & sic
est bona cupiditas: juxta illud: *qui me edent, adhuc esurient.* 2. ut
rectæ rationi & legi diuinæ repugnat, & sic est mala passio:
juxta illud: *scio, quia non habitat in me bonum.* 3. ut rationi non
subijcitur, & sic est naturalis duntaxat.

XXX.

Desiderium hujus vitæ est mancum & imperfectum, cum
D 3 nulla

lib. I. &
remedio
amoris.

de Odio
qualis sit
passio.

Odij vis
& natu-
ra.

M. Cicero
de Amici-
tia.

de deside-
rio qualis
sit passio.

Ecclesiasti-
ci cap. 24.
ad Rom.
cap. 7.

Martialis nulla fit res naturalis, cujus possessio plenam afferat delectatio-
lib. 12. nem. juxta illud Poëtæ.

Epigram.

*Habet Africanus millies, & tamen optat :
Fortuna multis nimis dat, satis nulli.*

XXIX.

*De Fuga
qualis sit
passio.*

Fuga est passio Desiderio opposita, quando malum absens detestamur, & cum eo conjungi neutiquam volumus. Oritur hæc perturbatio in appetitu sensitivo, frequenter ex præcurrente Odio: quemadmodum Desiderium ex præeunte Amore.

XXX.

*De Gaudio
seu lætitia
qualis sit
passio.*

Gaudium est lætitia per sensus exteriores erumpens ob præsens aliquod bonum. Hæc passio dulciter animum jucundeq; explet: quæq; pro amplitudine boni, quod oblatum est, amplior esse minorve potest. Cicero Gaudium à Lætitia ita distinguit, quod Gaudio placidè & constanter; Lætitia verò vehementer effuseq; commoveamur.

XXXI.

*Gaudium
futuræ
vitæ.*

Perfectum Gaudium eam continet delectationem, quæ ab omni molestia & defatigatione est immunis ac libera: eoq; magis, quo objectum seu res possessa fuerit amore dignior. Ea propter beatæ mentes, quæ ex calamitatibus hujus vitæ ereptæ sunt & ad æterna gaudia translatae, tædij & molestiæ nequam obtinent jucunditatem.

XXXII.

Quamdiu verò casibus præsentis vitæ circumscripti sumus, tandiu omnis nostra lætitia aliquid tristitiæ admixtum habet, nullaq; voluptas ab omni penitus dolore est repurgata. Iuxta illud Poëtæ.

*Ovid. l. 6.
Fast. &
lib. 7. me-
tamorph.*

*Scilicet interdum miscentur tristia lætis,
Gaudia principium nostri sunt sæpe doloris.*

XXXIII.

*Sapient. 8.
V. 1. et 16.*

Nonnunquam memoria rei præteritæ, & spes concepta de malo præsentem removendo, Gaudij & delectationis sunt causa: quia bonum præteritum apprehendimus, ut adhuc præsens; malum præsens ut jam præteritum; aut etiam ob superatas calamitates nos ipsos solamur ac reficimus, quod de Electis prædicat scriptura.

XXXIV.

*Tristitia est passio contrahens ac premens animum propter opinionem mali præsentis, aut absentis boni penuriam, dole-
mus*

mus enim, aut propter bonum amissum, aut propter adeptum De Tristitia
malum, qua passione nihil obtingere potest homini in hac vita *tia qualis*
molestius, cum etiam vitales operationes suffocet: Iuxta illud *fit passio.*

Poetae: *Str.ingulat inclusus dolor, atq; cor aestuat intus,* Ouid. lib.
Cogitur & vires multiplicare suas. 5. de trist.

XXXV.

Alia incommoda Tristitiae, recenset passim scriptura sacra. *Ecclesi. 25*
omnis, inquit, plaga Tristitia cordis est. Item: *Cor gaudens exbilarat* v. 17. pr.
faciem, in merore animi deijcitur spiritus. Item: *animus gaudens ata-* 15. v. 13.
rem floridam facit. spiritus tristis exsiccatur ossa. Item: *sicut tinea vesci-* cap. 17. v.
mento, & vermis ligno, sic Tristitia viri, nocet cordi. Item: *multos* 22. c. 25.
occidit Tristitia, & non est sanitas in ea. v. 20. Ec.
cap. 30.

XXXVI.

Remedia Tristitiae quatuor assignat August. Somnum, *v. 25.*
balneum, lachrimas, & veritatem. *Veritatis, inquit, contemplatio*
dolorem mitigat. de somno inquit: *Mentesq; fessas allevat. Luctusq;* Aug. in
solvit anxios, de balneo inquit: *audieram balnei nomen indeditum,* soliloq. &
quod auvietatem pellat animo. de lachrymis inquit: *in solis gemitibus* l. 9. conf.
ac lachrymis inveni aliquid solatii: cui consonat illud Poetae: & lib. 4.
ibid.

Eleg; meos casus, est quadam flere voluptas,
Expletur lachrymis, eg;riturq; dolor.

XXXVII.

Alia alia assignant remedia. Aristoteles putat esse amico-
rum colloquia, quatenus ex his quaedam solatia haurimus. Sene-
ca dicit esse temporis moram: quicquid est, inquit, da spatium
& tempus tibi: quod ratio nequit, saepe sanavit mora. Idem sen-
sit Servius Sulpit: nullus, inquit, est dolor, quem non longinqui-
tas temporis minuatur atq; molliat. *lib. 4. ad
fam.*

XXXVIII.

Spes est expectatio boni ardui futuri, quod non quovis tem- *Qualis*
pore in nostram venire potest potestatem: in quo differt a desi- *passio sit*
derio, cuius obiectum parum difficultatis habet, & tantum ut *spes.*
bonum absens apprehenditur: quamvis pro eodem etiam saepe
usurpentur haec duae passionis quoad nomen.

XXXIX.

In divitibus, fortibus, doctis, juvenibus, & dignitate aliqua *Ecclesiast.*
constitutis, plerumq; multum esse solet Spei: quia putant se media *10. & 1.*
apta adeptos esse, quibus bonum arduum facile obtinere possint: *Sam. c. 17.*
dives enim, inquit: pecuniae obediunt omnia. Magnus ille Philis-
taeus

stæus suum robur, Cicero suam eloquentiam admiratur. juvenes cum mala nedum experti sint, omnia se obtinere posse sperant.

XXXI.

Desperatio
qualis sit
passio.

Desperatio, est opinata boni adspiciendi difficultas ac diffidentia: nec non mali inevitabilis apprehensio: nam qui ab hostibus capiuntur, dum fugam & defensionem desperant, simul etiam captivitatem ut malum necessarium apprehendunt.

XXXII.

Job. cap.
16. Psal.
31. & 40.

Cum ergo desperare sit omnem à se spem abijcere, & quasi inermem sese committere fortunæ: oportebit sanè nos homines esse meminisse, & perniciosam hanc passionem contrario remedio curare, ac veluti scutum adversus omnes fortunæ flatus spem apprehendere: & ubi humana desunt remedia, ad divina confugere. juxta illud:

Quid. lib.
I. de Pon-
so.

*Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magnatamen spes est in bonitate Dei.*

XXXIII.

Timor
qualis sit
passio.

Timor est expectatio mali, seu futuræ ægritudinis sollicita recordatio. Quanto verò malum futurum magis à nobis distat, tanto minùs timetur: ideo juvenes minus metuunt mortem, quàm senes: quod illi parum effluxisse præteriti, hi parum restare futuri existiment.

XXXIV.

Hor. l. I.
Epist. ad
Quint.

Timor alio modo bonis inest, & alio modo sceleratis: hi enim directò malum timent: illi verò magis boni jacturam, luxuriam illud Poëtæ:

*Oderunt peccare boni virtutis amore:
Oderunt peccare mali formidine pœnæ.*

XXXV.

De Audacia
qualis
sit passio.

Audacia est immoderata audendi vis animiq; confidentia, qua quis malum neq; futurum, neq; præsens exhorrescit, sed cæco quodam impetu in aperta præceps ruit pericula. Oritur hæc passio ex præconcepta spe, si vel bona corporis, vel bona animi, vel bona fortunæ quæ in nobis sunt, consideramus.

XXXVII.

de Ira
qualis sit
passio.

Ira definitur ab Horatio, furor brevis, à Cicerone, libido puniendi eum, qui injuriâ læsisse putatur. quæ passio ob malum arduum præsens oritur, estq; omnium passionum facilè vehementissima, quæ & corpus et animum immutat. Hastenus de passionibus appetitus Sensitivi.

FINIS.

DE FORTITVDINE, ET cognatis habitibus.

I.



Fortitudo duplicem significandi vim habet: vel enim quandam animi firmitatem & constantiam ad honestas actiones obeundas importat, qua significatione est communis conditio cuiuslibet virtutis, cuius est firmiter, immobiliterq; agere. lib. 2. ad Nicom. cap. 4.

II.

Alio modo usurpatur Fortitudo, quatenus designat firmitatem animi in suscipiendis periculis laboribusq; perferendis. quo significato efficitur virtus specialis, vendicans sibi pro objecto passiones duas, timorem scilicet & audaciam. quo sensu disputant de ipsa, Plato, Aristoteles, Cicero, & alij complures. Plin. lib. 12 lach. Cic. lib. 1. offic.

III.

Definitur verò ab Aristot. Fortitudo hoc pacto. est mediocritas circa metum & audaciam, hoc est, habitus seu virtus, quæ in metu & audacia moderandis posita est. ex quo patet, Fortitudinem residere in appetitu irascendi: quandoquidem metus & audacia ad istiusmodi appetitum pertinent. lib. 2. ad Nic. c. 7. & lib. 3. c. 6.

III.

Sunt autem duo actus in Fortitudine diversi, unus in agendo positus, alter in patiando, quia, cum Fortitudo circa audaciam & timorem versetur, timorem reprimit difficultatem sustinendo, audaciam verò aggrediendo moderatur. Duo actus Fortit.

Ex his actibus præstantior est tolerantia seu sustinentia, quam aggressio: propterea quod magis arduum sit timorem reprimere, quod fit sustinendo, quam audaciam refrenare, quod aggrediendo fit, nam ipsum periculum, cum ex se conferat aliquid ad reprimendam audaciam, nihil tamen iuvat ad cohibendam, sed ad augendum potius timorem. lib. 3. ad Nic. c. 9.

VI.

Quanquam, non est omnino periculi fugâ committendum,

E

ut

ut imbelles, timidiq; videamur. Sed fugiendum etiam illud, ne offeramus nos periculis sine causa: quo nihil potest esse stultius. **Stulticia.** in tranquillo enim tempestatem adversam optare, dementis est: subvenire autem tempestatem ortæ quavis ratione, sapientis: eoque magis, si plus adipiscare re explicata boni, quam addubitata mali.

VII.

Temeritas. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leviter ægrotantes leviter curant: gravioribus autem morbis periculosas curationes, & ancipites adhibere coguntur. Temere autem in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam, & belluarum simile est: sed cum tempus necessitasq; postulat, decertandum manu est, & mors servituti, turpitudiniq; anteponenda.

VIII.

Cic. lib. 1. offic. Fortis ergo animi & constantis est, non perturbari in rebus asperis, sed presentis animi uti consilio, nec à ratione discedere: quanquam hoc animi, illud etiam ingenij magni est, præcipere cogitatione futura, & aliquantò antè constituere, quid accidere possit in utramq; partem: & quid agendum sit, cum quid evenerit: nec committere, ut aliquando dicendum sit, non putaram.

IX.

Amittit verò ea animi constantia, quæ in periculis & laboribus cernitur, suum nomen, si Iustitia vacat, pugnatq; non pro salute communi, sed pro suis commodis. non modo enim id virtutis non est, sed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis.

X.

lib. 1. mag. mor. cap. ultim. Itaq; probè definitur à Stoicis Fortitudo, cum eam virtutem esse dicunt propugnantem pro æquitate, ideo inquit Plato: non solum scientia, quæ est remota à Iustitia, calliditas potius, quam sapientia est appellanda: verum etiam animus paratus ad periculum, si sua cupiditate, non utilitate communi impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam Fortitudinis.

XI.

Præterea cum homines laboribus susceptis, periculisq; aditis, quasi mercedem rerum gestarum exigant: consentaneum non est, eum, qui metu non frangitur, frangi pecunia: & qui invictum se à labore præstitit, à voluptate vinci.

Forti-

XII.

Fortitudo enim etiam in rerum externarum despicientia ponitur, cum persuasum sit, nihil hominem, nisi quod honestum decorumque sit, aut admirari, aut optare, aut expetere oportere: nullique homini, neque perturbationi animi, neque fortunæ succumbere.

XIII.

Quamobrem & gloriæ, & voluptatis, & pecuniæ fugienda cupiditas est, & vacandum omni animi perturbatione, profugato metu & audacia, ut tranquillitas adsit, & securitas, quæ affert tum constantiam, tum etiam dignitatem.

XIIII.

Ad Fortitudinem quoque qui accedit, caveat, ne id modo desideret, quàm illa res honesta sit: sed etiam ut habeat efficiendi facultatem. in quo ipso considerandum est, ne aut temere desperet propter ignaviam, aut nimis confidat propter cupiditatem. in omnibus autem negotiis prius, quàm aggrediare, adhibenda est præparatio diligens.

XV.

Omnis igitur fortis animus & magnus, duabus rebus maximè cernitur: quarum unam in sustinendis, alteram in aggrediendis periculis positam esse, supra à nobis insinuatam fuit. de quibus nunc sigillatim erit agendum, ut, quid in ferenda propulsandaque injuria observandum sit, habeamus præcognitum.

XVI.

Ad aggrediendum ergo duo sunt necessaria. primum, ut parato promptoque quis sit animo, ut res gerat magnas illas quidem, & maximè utiles, sed vehementer arduas, plenasque laborum & periculorum, tum causâ vitæ, tum multarum aliarum rerum, quæ ad vitam pertinent.

Prior as
ctus fore
titud.

XVII.

Quam virtutem Cicero vocat Magnanimitatem & fiduciam: Fortitudo, inquit, est per quam magnis & honestis in rebus multum ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocavit.

Cic. lib. 2.
de invent.

XVIII.

Exigitur quoque alterum in aggrediendo, idque ad operis administrationem: uimirum ut animus in re, quam semel est aggressus,

Ibidem,

sus, non succumbat. & hanc vocat idem Cicero Magnificentiam, quæ est rerum magnarum & excelzarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitatio & administratio.

XIX.

lib. 4. ad Nic. cap. 2. & 3. Spectant porro hæ duæ virtutes ad Fortitudinem, quatenus in periculosis & arduis rebus, timorem & audaciam excludunt, differunt verò in materia ab eadem: Fortitudo enim circa pericula mortis versatur: Magnanimitas, circa magnos honores: Magnificentia, circa magnos sumptus.

XX.

Posterior actus fortitud. Iam verò ad alterum Fortitudinis actum, videlicet ad sustinendum, duo similiter requiruntur, alterum est, ne animus propter impendentium malorum difficultatem tristitiâ frangatur: & ob id constituitur ὑπομονή, quæ est honestatis aut utilitatis causâ rerum arduarum ac difficilium voluntaria & diuturna perpessio.

XXI.

Longanimitas & patientia. Huic virtuti jungitur longanimitas: qua quis res magnas quæ procul sunt, sperat, unde fit ut longanimitas cum μεγαλοψυχία, secundum quam quis res magnas, quibus dignus sit, deberi sibi citra omnem jactantiam judicat, magnam habeat cognitionem, convenit tamen cum ὑπομονή, quia diuturna rei magnæ expectatio, tristitiam parere consuevit: ad quam æquo animo ferendam patientia indigemus.

XXII.

Perseverantia & constantia. Virtus, quæ ideo in sustinendo necessaria videtur, ne ex diuturna rerum difficilium perpessione ab incepto animus desistat, perseverantia nominatur, quæ definitur, in ratione bene considerata stabilis & perpetua permanens. Perseverantia deniq; jungitur ἐυσθένεια: quæ inter se partim conveniunt, partim differunt.

XXIII.

Conveniunt, inquam, quatenus beneficio utriusq; in bono aliquo permanemus: differunt, quia perseverantia resistit difficultati, quæ ex diuturnitate temporis oritur: ἐυσθένεια verò difficultati, quæ ex aliquo externo impedimento proficiscitur. Sed his sepositis, ad μεγαλοψυχίαν præcipuam Fortitudinis speciem redeamus.

XXIV.

Magnanimitas definitur ab Aristotele, virtus quæ in honore &

& infamia mediocritatem servat, quapropter etiam ornamentum reliquarum virtutum fuit appellata: nam & majores eas amplioresq; facit, & sine illis constare nullo modo potest.

lib. 4. ad
Nic. c. 3 &
1. mag.
mor. c. 26.

XXV.

Deinde, cum multi propter egregias virtutes, aut res praeclarè gestas magnis afficiantur honoribus: & fortunâ versâ, qui bene de Repub. meriti sunt, saepe uegligantur, vel etiam cum ignominia repellantur. Hic jam magni animi viri est, & illatam injuriam ac contumeliam despiciere, & oblatis honoribus non extolli.

XXVI.

Præterea, si quis haud ita sese in Repub. abiciat, ut minore quàm par sit honore cohonestari velit: neq; etiam majorem quàm deceat ambiat: & qui contumeliam perfert, cum eam à se honestè removere non potest, & remouet ubi potest, is demum magnanimus haberi debet.

lib. 3. ad
Eudem.
cap. 5.

XXVII.

Alia complura vera μεγαλοψυχίαq; insignia recenset Philosophus passim locis ante citatis ad Nicom. & Eudemum, officium, inquit, magnanimi est, alium se præbere erga eos, qui sunt in dignitate constituti, & alium erga vulgares, ac infimæ sortis homines: erga illos quidem magnum & excelsum; erga hos modestum ac moderatum gerere animum.

cap. 4. cap.
5. & in lib.
bello de
Virt. &
Vit.

XXVIII.

Debet etiam Magnanimus res gerere, paucas illas quidem, sed magnas, & omnium sermone fama q; celebrandas. & ut inquit Cicero: omnino illud honestum, quod ex animo excelso, magnificoq; querimus, animi efficitur, non corporis viribus: exercendum tamen corpus, & ita afficiendum est, ut obedire consilio rationiq; possit, in exequendis negotijs, & in labore tollerando.

Cic. lib. 1.
offic.

XXIX.

Honestum ergo, inquit ibidem Cicero, quod exquirimus, totum est positum in animi cura, & cogitatione, in quo non minorem utilitatem afferunt, qui togati Reipub. præsent, quàm qui bellum gerunt.

XXX.

Deniq; vir magnanimus haud facile admirari debet aliorum res, nec quenquam rogare, quasi cui nihil magnum esse possit.

lib. 4. ad
Nic. c. 2.

debet majorem veritatis, quàm opinionis curam habere, & aperte loqui agereq; omnia, ut minimè videatur dissimulator. debet nihil præceptis absq; consilio attentare, & inter agendum voce gravi, oratione stabili ac sedata uti.

XXXI.

Vitia opposita magnanimitati.

Vitia magnanimitati opposita duo sunt: alterum dicitur ἐπαγοίη, cum quis in magnis honoribus sese adeo extollit, reliquos ut despiciere videatur: quod etiam tum contingit, quando homines improbi magnis sese honoribus dignos judicant, eosq; sibi exhiberi curant, vel etiam à male notæ hominibus profectos venantur.

XXXII.

Superbia vitium.

De quo vitio sic inquit Tullius: miserrima est omnino ambitio, honorumq; contentio: de qua præclare apud eundem est Platonem: similiter facere eos, qui inter se contenderent, uter potius Rempub. administraret: ut si nautæ certarent, quis eorum petissimum gubernaret.

XXXIII.

Puillitas nimis vitium.

Alterum vitium dicitur μικροψυχία, nimia animi abjectio, quando is, qui omnium iudicio dignus honore atq; imperio judicatur, omnem honorem subterfugit, atq; ita publicam utilitatem negligit, cum non minus culpandus sit is, qui omnibus, quàm qui nulli præesse velit.

XXXIII.

lib. 4. ad Nic. cap. 3.

Hæc vitia, si bene advertas, illis, quæ cum Fortitudine pugnant, sunt quàm simillima: nisi quod hæc circa honores; illa circa pericula versentur. quis enim non videt ἐπαγοίη, quàm simillimam esse audaciæ, & μικροψυχίαν haud dissimilem timiditati? quemadmodum audaciæ in adeundis periculis cernitur: ita superbia in adeundis honoribus: & quemadmodum timor in fugiendis periculis; sic quoq; μικροψυχία in fugiendo honore.

XXXV.

De Magnificentiâ

Magnificentiâ quoq; species est fortitudinis, ut author est Cic. lib. 4. offic. definitur hæc virtus: rerum magnarum & excelsarum cum animi ampla quadam & splendida propositione agitatio & administratio.

XXXVI.

lib. mag. mor. c. 27.

Cum Liberalitate aliquo modo conjuncta videtur μεγαλοψυχία.

μεγαλα, tum quod nemo possit esse magnificus, nisi simul etiam
sit liberalis, quamvis multi esse possint liberales absq; magnificētia:
tum quod utraq; hæc virtus in eroganda pecunia faciendisq; sum-
ptibus versetur.

XXXVII.

In Magnificentia observari debet decorum, tum personæ, lib. 4. ad
Nic. cap. 23
tum ipsius rei quæ expenditur: neq; enim, inquit Philosophus,
idem sumptus trierarchum decet, & spectaculorum præfectum:
cum magnificus homini scienti esse debeat similis.

XXXVIII.

Res, in quas confertur pecunia à magnifico, debent esse sem-
piterna memoria dignæ. E. G. templa, sacrificia, theatra, specta-
cula, convivialia, & id genus alia, quæ homines suspicere & admi-
rari solent.

XXXIX.

Quocirca nemo pauper magnificus esse potest, quod non
habeat sumptus, quibus, in recipiendorum hospitem, dimittendo-
rumq; officio, in donis & remunerationibus, in augendis amplifi-
candisq; rebus publicis, excellens aliquid & memoria dignum
prestare possit.

XL.

Habet hæc virtus ferè eadem vitia opposita, quæ Liberali-
tas, si sumptus spectes: si verò mores seu actiones, videbis alios tu-
midos, arrogantes, ostentatores, qui etiam bonis suis divenditis,
vel alienis mutatis, inanem quandã gloriam sectantur, dum con-
vivialia apparant, dum suas aedes ampliant, atq; expoliant, aut ali-
quid agunt, quod Magnificum agere par esset. 1. mag.
mor. cap. 1.
27. Cic. 1.
& 3. de
offic.

XLI.

Videbis ex adversa parte alios, homines locupletes & pecu-
nia abundantes, in sublimi positos, adeo semet obscurare, ut nihil
magnum atq; excellens moliantur, quasi nominis sui obliti sordidæ
sepe parsimonie consecrassent.

XLII.

Atq; hæc de Magnanimitate, & Magnificentia, quas virtu-
tes M. Cicero refert ad Fortitudinem libro primo officiorum, dicta
sufficiant, reliquum est, ut de Temperantia ejusq; cognatis habiti-
bus differamus.

Corollia-

Corollaria.

I.

- A**N fortitudo circa *ἄρσεν καὶ φόβον* versetur? Aff.
2. An omnis timor, omnisq; audacia (quæ sunt duæ passionēs appetitus sensui vi) sit fortitudinis extremum? Neg.
3. An fortitudo in oppetenda morte potissimum eluceat? Aff.
4. An in naufragio, aut in morbis tanta esse possit fortitudo, quanta in rebus bellicis? Neg.
5. An viri fortes in factis ipsis acres sint, & celeres: ante factum verò sedati & quieti? Aff.
6. An, qui præproperi sunt ac præcipites, ipsumq; periculum ante, quàm in eo versentur, adire vclunt, fortes nominandi sint? Neg.
7. An fortis dici possit, qui legitimis pænis multatur, easq; constanti perfert animo? Aff.
8. An fortitudo unico actu comparari possit? Neg.
9. An magis laude dignum sit, res molestas atq; speras fortiter ferre, quàm easdem adire? Aff.
10. An necessariò sit conjuncta voluptas cum fortitudine? Neg.
11. An mors & vulnera forti viro molestiam invito afferant? A.
12. An vir fortis dici possit Beatus, cum minus habeat jucundum objectum, quàm in cæteris virtutibus? Aff.
13. An magnanimitas & magnificentia sint duo distincti habitus à Fortitudine? Aff.
14. An *μεγαλοψυχία* sit ornamentum reliquarum virtutum? A.
15. An honor, quem deserunt homines malæ notæ bonis magnisq; viris, repugnet magnanimitati? Neg.
16. An vir magnanimus ambire possit honorem sibi debitum? A.
17. An homines parvi nominis ac famæ, quales sunt rustici, aut opifices alioqui divites, exercere possint Magnificentiam? Neg.
18. An philosophi, qui suas facultates ac opes objecerunt, propter solam eruditionem dici possint magnifici? Aff.

FINIS.

DE JUSTITIA ET JURE.

THESIS I.

Inter Virtutes morales facile principem locum obtinet *Iustitia*, tam ratione subjecti, quam ratione ob-
jecti, ut dilucidis verbis id adstruit Philosophus li-
bro 5. Eth. ad Nicom. cap. 1.

I.

Ratione subjecti quidem, quia cum reliquæ morales virtutes appetitui sensitivo inhæreant, ut ejus affectus seu perturbaciones moderentur & cohibeant: *Iustitia* in appetitu rationali, hoc est, in voluntate insidet.

II.

Ratione objecti, quia aliæ virtutes morales versantur per se duntaxat circa bonum ejus, in quo sunt: at secundum *Iustitiam* Lib. 1. habet se quisq; bene etiam erga alios, æqualitatem ipsis præstans. Rhet. virtutes autem, quæ alijs honestissimæ sunt, præstantissimæ habentur. cap. 9.

III.

Definitur verò *Iustitia* in hunc modum ab Arist. lib. 5. ad cap. 5.
Nicom. *Iustitia est virtus, qua homo justus aptus dicitur, tum ad agendum consultò id quod justum est, tum ad jus tribuendum & sibi et alteri.*

IV.

Ulpianus uberius verbis *Iustitia* naturam explicat, cum ff. de Inst. inquit *iustitia est constans & perpetua voluntas jus suum unicuiq; & jure tribuendi.*

V.

In qua definitione tres conditiones omni virtuti communes positæ ab Aristotele lib. 2. ad Nic. traduntur: nimirum, ut sciens quis agat, ut ex electione, ut perpetuo seu constanter in actione cap. 4. studiola versetur.

VI.

Cum ergo Ulpianus jureconsultus ait, *iustitia est constans & perpetua voluntas &c.* hoc est habitus, quo quis perpetua & constanti voluntate jus suum cuiq; tribuit: sentit profecto *Iustitia* subjectum esse voluntatem.

VII.

Indicat præterea ejus actum scienter administrari, quia quod
F quis

quis ignorans facit, voluntarium non est: item firmo stabiliq; animo exerceri: & deniq; ex electione propter honestum finem, cum honestum sit unicuiq; suum tribuere.

IX.

§. ad Nic.
cap. 2.

Porro jus nihil est aliud, quàm justum & rectum; quod quidem in duo membra dividitur; nempe in naturale jus, & positivum seu legitimum jus. teste Philosopho,

X.

Ibidem.
cap. 7.

Ius naturale est, quod ubiq; eandem vim obtinet: & non quia videtur, aut non videtur. seu, quod ubiq; natura sua necessarium est: & non quia alicujus arbitrio judicioq; statuitur.

XI.

Ius positivum seu legitimum est, quod non ex ipsa natura, sed ex aliqua institutione pendet: ut quod trumentum, vinum, aliaq; res venales tanto pretio vendantur.

XII.

cap. 6.
& 7.

Alias divisiones juris commemorat Philosophus libro §. ad Nicom. & aliud vocat herile, jus Domini ad servos: aliud paternum, jus patris ad liberos: aliud familiare, jus amici ad amicum.

XIII.

Ad jus naturale revocat Philosophus jus gentium: ad jus legitimum, jus civile. naturale, inquit, est quod ubiq; gentium idem valet: non quia ita decretum sit, vel non decretum.

XIV.

cap. 1.
& 3. pol.
6. §.

Iustitiam porro ita distribuit Aristoteles, ut aliam appellet universalem, aliam particularem, & rursus: aliam distributivam, aliam commutativam.

XV.

Iustitia generalis nominatur ea, qua quis justè se habet circa bonum commune principis, vel Reipublicæ, puta quando leges boni communis gratiâ sanciantur.

XVI.

Iustitia particularis illa dicitur, qua quis justè se habet circa bonum particulare alterius. sed his missis ad alteram distributionem iustitiæ contendamus.

XVII.

Iustitia distributiva appellatur, quæ in rectè distribuendo versatur. cujus species duæ sunt, remunerativa, & punitiva.

Remu.

XVIII.

Remunerativa est, qua iubet honores, magistratus, munera, beneficia, aliaque id genus, pro cuiusque dignitate & meritis, secundum Geometricam proportionem dispensare.

XIX.

Appellatur illa proportio Geometrica, quando conferimus Propors. Geomet. merita unius cum meritis alterius, ut singulis sua praemia respondeant ex merito. E. G. si duobus civibus loco praemij 10000 aureorum distribuenda sint, & ex ijs unus duplex habeat meritum, alter vero triplex: juxta Geometricam proportionem demandanda erunt illi 4000, huic autem 6000.

XX.

Punitiva est, qua similiter nocentes, ut par est, supplicijs affici jubet, ubi eadem, quae in Remunerativa, proportio observanda est.

XXI.

Commutativa justitia est, qua quisque recte se habet in commutacionibus, suam cuique reddendo secundum Arithmeticam proportionem.

XXII.

Arithmetica vero proportio illa dicitur, quae constituit aequa- Arith. litatem inter rem acceptam, & id quod per eam redditur, quae ex propo- τῆς ἀναλλογίας versatur.

XXIII.

Iustitiae commutativae species insigniores sunt: emptio, venditio, usus fructus, usus, locatio, conductio, depositum, pignoris acceptio, fidejussio, promissio simplex, stipulatio, transactio.

XXIV.

Emptio est, qua quis recte se habet in persolvendo eo, pro quo justum pretium se daturum edixit.

XXV.

Venditio est, qua quis recte se habet in exigendo pretio, pro re quam alteri possidendam tribuit.

XXVI.

Usus fructus est, quo quidem dicitur quis habere jus utendi ac fruendi rebus alicujus, salva earum substantia. E. G. qui habet usufructum agri vel horti, potest non solum fructus edere, sed etiam vendere, & agrum vel hortum alteri locare, ut habetur ff. de usufr. & instit. eodem tit.

XXVII.

Usus est, quo quis habet jus utendi rebus alienis, salva earum substantia, non tamen fruendi.

F 2

Itaq;



XX.

Itaq; minus juris est in usu, quam in usufructu.

XXIX.

Nam ille *uti* dicitur, cui tantum illis vel sci licet, vel sua alere armenta; non tamen illa aliter distrahere potest, ut vendere fructus, aut agrum vel hortum alteri locare. ut habetur in tit. de usu & habit.

XXX.

Locatio.

Locatio est, acceptio rerum mobilium; quas non solum reddere tenetur is, cui locatio fit: sed etiam pro usu earum satisfacere; intelligi autem debet *Locatio passiva*.

XXXI.

Conductio

Conductio est, acceptio rerum immobilium sub certo pretio; quas etiam restituere tenetur is, qui eas pretio utendas accepit.

XXXII.

Depositum

Depositum est, actio deponendi, qua res alicui traditur non ad usum, sed ad conservationem duntaxat.

XXXIII.

Pignus.

Pignoris acceptio est, cum res traditur non ad usum, sed cum obligatione restituendi, soluto eo, cujus gratia pignus accipitur.

XXXIV.

Fidejussio.

Fidejussio est, cum fit promissio solvendi reddendiq; aliquid pro alio, si modo ille non solvat.

XXXV.

Promissio.

Promissio simplex est, conventio ejusmodi inter aliquos, nulla ut antecedit promissionis petitio.

XXXVI.

Stipulatio.

Stipulatio est, promissio alicujus præcedente promissionis petitione.

XXXVII.

Transact.

Transactio est, concordia circa rem litigiosam, seu in qua lis aliqua præcessit.

XXXVIII.

Deniq; pacta omnia & conventiones pertinent ad justitiam commutativam, omnesq; contractus innominati: quales sunt, *Do ut des, Facio ut facias, Do ut facias, Facio ut des.*

XXXIX.

Alia divisio.

Alia adhuc est *Iustitie* distributio personalis: altera, qua Deo debitum obsequium præstamus: altera, qua æquitatem inter homines colimus.

Iustitia

XL.

Iustitia erga DEUM nominatur *θεοσεβεια*, quæ est virtus, qua quis rectè afficitur ad DEUM colendum & venerandum. Hujus species sunt, oratio, sacrificium, juramentum, adjuratio.

XL I.

Oratio est, petitio decentium à DEO, adhibita quandoq; ex-terna corporis contestatione.

XL II.

Sacrificium est, oblatio, qua DEO aliquid exterius offertur, ut ejus nos imperio subjectos esse fateamur.

XL III.

Juramentum est, quo DEUM ut testem assumimus in alicujus rei confirmationem.

XL IV.

Adjuratio est, invocatio divini nominis, qua quempiam deprecando, aut compellendo ad aliquid faciendum, non faciendumvè inducimus.

XL V.

Iustitia quæ est erga homines continet subse, pietatem, observantiam, obedientiam, gratitudinem, liberalitatem, veritatem, familiaritatem, Amicitiam.

XL VI.

Pietas est, per quam sanguine conjunctis, & de patria optimè meritis officia cultumq; exhibemus.

XL VII.

Observantia est, qua dignitate præstantibus honorem reverentiamq; deferimus.

XL VIII.

Obedientia est, qua voluntas prompta & facilis redditur, ad ea præstanda, quæ à superiore agere jubemur.

XL IX.

Gratitudo est, qua ijs, qui de nobis bene meriti sunt, gratiam non solum habemus & agimus, sed etiam cum possumus referimus.

Liberalitas est, qua quis dispensat pecunias in bonos usus, sibi, suis, & alijs. Intellige autem nomine pecuniarum omnia, quæ simili æstimantur, ut declarat Philosophus lib. 4. ad Nicom. lib. 1.



L I.

Veritas.

Veritas est, qua quis verbis & factis talem se demonstrant, qualis in se est. De hac disserit Aristoteles lib. 1, mag. moral. cap. 33, & lib. 3, ad Eudem, cap. 7.

L II.

Familia.

Familiaritas est, qua quis in communi hominum consuetudine & congressu, mediocriter & uti decet se habet. Studetq; quatenus potest omnibus benigne obsequi. De hoc habitu agit Philosophus lib. 4. ad Nicom. cap. 6.

L III.

Amicitia.

Amicitia est, qua aliqui mutuam apertamq; benevolentiam habent, & se vicissim bonis affici volunt, ob aliquod bonum, & & non ob solam jucunditatem. De hac disputat Aristoteles lib. 8, & 2, ad Nicom. & lib. 7. ad Eudem, & M. Cicero in Lælio.

L IV.

Atq; hactenus de *Iustitia* distributione, nunc ad ipsius naturam plenius indagandam animum cogitationesq; conferamus

L V.

Piccol.

grad. 4.

cap. 28.

Est autem *Iustitia* hujus conditionis, quod, quamvis proprie versetur in voluptate justii & injusti, maximè tamen sequitur virtutes alias. Hinc non injuria Philos. hac quoq; de causa postremo de *Iustitia* verba fecit.

L VI.

lib. 2. c. 6.

& lib. 5.

c. 3. 4.

Iustitia consistit in medio quoad objectum, non verò quoad *virtutem*. prior pars patet ex Arist. qui asserit omnem virtutem moralem in medio collocatam esse. Nam bonum ejus, quod regitur & mensuratur, situm est in adæquatione ad suam regulam.

L VII.

Quare cum bonum virtutis moralis à ratione dirigatur, utiq; positum erit in adæquatione ad mensuram rationis: quæ adæquatio est æqualitas seu commensuratio quædam inter excessum & defectum, quæ est mediocritas.

L VIII.

lib. 5.

cap. 5.

Altera pars constat ex eodem Arist. cum inquit, *Iustitiam* non eodem modo, quo reliquæ virtutes morales, *obtinere*.

L IX.

Potestq; idem ex eo ostendi: quia *iustitia* versatur inter plus & minus: quod est contra jus.

Diximus



LX.

Diximus, quod est contra jus : quia qui de suo plus dat, vel nullum committit peccatum, vel si quod committit, id non ad justitiam pertinet, sed ad prodigalitatē, quæ liberalitati opponitur.

LXI.

Quo fit, ut *justitia* unum tantum habeat extremum, cui adversetur, nimirum *iniustitiam* : quia prædictum plus & minus, semper *iniustitiam* efficit.

LXII.

Idem sentit Piccolom. cum inquit : *Justitia* dum confideratur ut virtus moralis, in medio est posita, quia est moderatio propria perturbationis, non tamen ita apparet in medio duorum vitiorum collocata, quia eadem *iniustitia* simul, & ad nimium, & ad parum inclinat.

LXIII.

Et cum virtutes principes numerentur 4, *Justitia*, Fortitudo, Temperantia, Prudentia : facile inter has summum dignitatis gradum *Justitia* obtinere videtur : uti à nobis fuit initio inveniatur.

LXIV.

Atq; hanc ob causam inquit Arist. lib. 5. ad Nic. omnium virtutum præstantissima videtur esse *justitia* : neq; n. vesper, neq; Lucifer tanta homines admiratione afficit.

LXV.

Et quamvis Amicitia sit usus & fructus virtutum omnium, cum eas præsupponat, nec ulli inesse possit, cui primò virtutes non insint : tamen eam præsertim à *Justitia* formari & dirigi communis est opinio.

LXVI.

Nam amari, & honore affici, inquit Philosophus, finitima sunt. ut itaq; honorem ei tribuere, cui debemus, est officium *Justitie* : ita amare virum probum, quem tum ob probitatem, tum ob amorem mutuum, mutuaq; officia amare tenemur, est munus *Justitie* : & præsertim, quia amari est præstantius, quam affici honore.

LXVIII.

Et lib. 8. ad Nicom, inquit Arist. *Ius & amicitiam* in iisdem versari.

versari & in omni societate reperiri. Et iterum: *Ius prestantissimum*
amicitia & charitate continetur.

LXIX.

lib. 5.
cap. 5.

Ad justitiam quoq; spectat jus talionis. Qui definitur *mutua*
beneficiorum retributio, mutuaq; injuriarum perpeffio, cum quis à se
factum, vicissim ab altero patitur, aut ab alijs factum, ipse vicissim pra-
stat.

LXX.

Hoc jure sublato, sublata est rerum communicatio, sublata
est officiorum mutuatio, sublatum est commune vinculum Rei
publicæ.

LXXI.

Gratie.

Ideo veteres Gratiarum templum in propatulo urbis loco
constituerant, ut omnibus in mentem veniret remunerationis,

LXXII.

In hoc jure non debet observari Arithmetica, sed Geome-
trica proportio, in *Iustitia* commutativa, non in distributiva.

LXXIII.

E. G. Si quis eum, qui Magistratum gerit, pulsaverit, non
modo pulsandus, sed majore etiam pæna multandus est. Aut si
Medicus agricolam sanavit, debet agricola non tantum frumen-
ti, quantum ille pharmaci, sed etiam amplius retribuere.

LXXIV.

Nummus.

Atq; ad hanc rem nummus quæsitus & comparatus est, qui
omnium rerum veluti sit mensura, & quod ex sua natura res na-
turales valent, id ex lege valeat nummus seu νόμισμα, unde e-
tiam nomen habet. Atq; hæc de *Iustitia* dicta modo sufficiant.

Corollaria.

1. An disputatio de justitia pertineat ad Elbicum? Aff.
2. An justus justè agendo quis fiat? Aff.
3. An justè agere, & justa agere idem valeant? Neg.
4. An injusti comes esse possit Prudentia? Neg.
5. An summum jus sit summa iniquitas? Aff.
6. An Magistratus dici debeat custos juris? Aff.

FINIS.

DE PRVDENTIA.

I.



Hilosophari, inquit Plato, non est plurima scire, Lib de
sed seipsum cognoscere, quod sapere est: seipsum *philos.*
autem cognoscere, est Prudentiam & Iustitiam co-
lere, adeo ut Philosopher munus sit dirigere & cor-
rigere humanas actiones.

II.

Ideo congruente metaphora Prudentia ab eodem Platone
Auriga humana vite fuit appellata: qua destituti, à perturbatio-
nibus, quasi estræuatis equis, præcipites trahimur.

III.

Appellabat eandem idem Plato *Nautam peritum*, qui in
puppi sedens, à naufragio nos seruat incolumes: Prudentia nam-
que in memoriam revolvens præterita, sua perspicacitate inspi-
ciens præsentia, futurorum ex sui principali conditione est pro-
vida.

IV.

Præterea omnium nostrarum actionum, consiliorum, &
operum *Dux* est, delectum habens rerum honestarum & turpium,
bonarum & malarum, utilium & inutilium, bona parans sibi,
familiaë, & urbi.

V.

Eam ita definit Arist. lib. 6. ad Nicom. Prudentia est habitus *cap. 8.*
cum ratione vera, ad agendum ea dirigens, quæ homini bona sunt. A re-
ceptionibus definitur: *recta ratio agendarum rerum.*

VI.

Dicitur in definitione: *habitus cum ratione vera* id est, habi-
tus verus: ut rejiciantur non solum habitus perpetuo falsi, cu-
jusmodi est error: sed etiam ij, qui interdum in falsitatem incur-
runt, ut opinio & suspicio. VII.

Dicitur, *agendi habitus*, id est, ad actionem dirigens: ut ex-
cludantur non modo habitus contemplativi: sed etiam *Ars*, quæ
licet habitus verus sit, non est tamen habitus agendi, sed facien-
di, hoc est, qui in effectiorem sive externum opus incumbit.

*Arist lib.
6. c. 4.*

VIII.

Additur deniq; *quæ homini bona sunt*: ut removeantur non-
nulli habitus, qui licet veri sint, non tamen humanarum actio-
num probitatem curant, ut *διαλεκτική, ῥητορικὴ.*

G

Hoc

IX.

Hoc enim Prudentie solius munus est, utpote quæ recte vi-
vendi rationem tradit, & quid fugiendum amplectendumve sit,
præscribit.

Instantia.

Jurè tamen quæsi erit aliquis, quoniam modo Prudentia di-
catur ab Arist. habitus agendi vera cum ratione, si versatur circa
contingentia, quæ, ut supra natura in utramq; partem cadunt,
ita judicium intellectus fallere possunt.

XI.

cap. 10. 1.

49.

Pro discussione huius instantiæ advertendum est : quem-
admodum intellectus dividitur in potentiam, & $\theta\epsilon\omega\rho\epsilon\tau\iota\kappa\eta$ & $\pi\rho\alpha\kappa-
\tau\iota\kappa\eta$, ut patet ex Arist. lib. 3. de anim. ita duplicem esse verita-
tem.

1. perihet.

cap. 8.

Prior spectatur penes conformitatem cognitionis sive in-
tellectus cognoscentis ad rem cognitam : de eaq; intelligitur il-
lud Aristot. quia res est aut non est, ideo enuntiatio vera est aut falsa.

cap. 2.

Posterior autem, ut ad præsentem locum spectat, consistit
in adæquatione rationis ad appetitum rectam : ut constat ex ijs,
quæ tradit idem Philos. lib. 6. ad Nicom. quam appetitus recti-
tudinem habitus in eo residentes spectant.

Resp. 1.

Ex hac duplici veritatis notione fit, ut nullus habitus
Theoricus sit absolute verus, nisi circa objectum necessarium,
quod aliter se habere non possit, versetur : cum eius veritas à
cognitione objecti dependeat.

Resp. 2.

Practicus verò, quamvis tendat in objectum contingens,
possit nihilominus esse veritati consentaneus, si recto appetitui
adæquetur : quicquid sit de conformitate ad objectum secun-
dum se, & ex sua natura spectatum.

cap. 9. 10.

Sunt autem tres actus ad prudentiam spectantes, $\nu\omicron\upsilon\varsigma$, $\sigma\upsilon\lambda\lambda\omicron\gamma\epsilon$,
& $\gamma\upsilon\omega\mu\eta$, quos tradit Aristoteles lib. 6. Eth. ad Nicom.

cap. 10.

Quorum primus est habitus ille, qui $\nu\omicron\upsilon\varsigma$ & intelligentia
practica dicitur, nobisq; ea offert, ex quibus principia consulta-
tionis

tionis eliciuntur, ad hanc accedit *ἄρχειν*, hoc est solertia & dexteritas ingenij, celerq; inventio mediorum.

XVIII.

Secundus est, judicare quanam ex medijs inventis ad finem adipiscendum magis conducant: atq; hic habitus dicitur.

XIX.

Tertius est, præcipere seu imperare, ut ea quæ iudicata sunt perficiantur: qui est actus rationis sive intellectus, dirigentis moventisq; voluntatem ad exercitium.

XX.

Cum his conspirare debet facultas ea, quam Arist. nuncupat lib. 6. ad Nicom. in qua, perinde ac in abimi oculo, habitus prudentiæ generatur, cum per eam proximè prudentiæ officium ac vis elucescat.

XXI.

Munere autem horum omnium, prudentia in ea animi parte oritur, quæ dicitur ad agendum idonea: hæc enim proximè ad agendum dirigit, famulantibusq; facultatibus præcipit: eam sequitur præelectio.

XXII.

Prudentiam autem jam formatam, tanquam propriæ affectiones comitantur, circumspectio, vigilantia, providentia, cautio, & similes habitus speciales ad universalem habitum utiles.

XXIII.

Cum autem pro absolvenda prudentia tot conspirare debeant, quorum integer numerus raro in eodem reperitur, iure optimo prudentia, ut est præclara, ita est rara.

XXIV.

Et quamvis prudentia non sit virtus moralis, maximè tamen juncta est cum virtute morali: est enim dux vitæ, & ultimum eius nectitur cum principio virtutum moralium.

XXV.

Ultimum liquidem erat, quæ præeligenda est: præelectio autem est proximum & principiale principium actionum ex morali habitu prodeuntium.

XXVI.

Pro exacta autem prudentiæ absolutione tria requiruntur: 1. facultates animæ per naturam congruenter affectæ. 2. prud.



cognitio veri, disciplina à quibus principia recipiat, variæq;
preceptiones virorum prudentum. 3. accuratus usus eorum, quæ
sub actionem cadunt.

XXVII.

Per prima itaq; principia Prudentia est manus Dei; per me-
dia, doctrinæ & disciplinae fætus; per finem, nostro labore, lon-
go rerum usu, & experientia absolvitur.

XXVIII.

cap. 9. Ex his illud facile evincitur, iure seniores esse prudentiores;
Plat. in cui consonat illud Philof. ad Nicom. 7. natura junioribus vires, se-
Timæo. nioribus prudentiam largitur: id enim eis competit ratione princi-
pii, medij, & finis, hoc est per temperamentum, per doctrinam,
& per usum rerum.

XXIX.

Hinc etiam relinquitur enodatum illud problema: *mares*
prudentiores femellis, intellige, si cætera sint paria. quod confir-
mat sententia Heroditi, asserentis spiritus feminei lexis, redun-
dante humiditate, caussos esse & obtulos.

XXX.

Alia. 9. Soluta etiam manet Astronomorum opinio, qui, cur senes
3. in gen. sint prudentiores, eam afferunt causam: quia senibus præest Sa-
turnus, qui contemplationis & constantiæ est dominus: & quia
dum nimirum fiunt senes, redeunt sub imperium Lunæ, quæ pu-
eritiæ præest, ideo tunc repuerascunt.

XXXI.

lib. 6. c. 8. Prudentia alia appellatur absolutè prudentia: alia vocatur
prudentia civilis, quæ quidem fundamento unum sunt, ratione
autem & forma distinguuntur.

XXXII.

Prudentia absolutè usurpata dicitur, ut ad nos, nostrumq;
officium & perfectionem refertur. Civilis autem, ut ad alios est
relata.

XXXIII.

Solitaria. Prior illa prudentia solitaria etiam nominatur, qua homo se
rectè gerit erga seipsum tantum, quatenus bene disponit ea, quæ
ad sui utilitatem, congruentemq; institutionem pertinent: cui
adversatur imprudentia, quæ est sui met, & suorum honorum ne-
gligentia.

Ad

XXXIV. Ad civilem prudentiam pertinent, *oconomica, militaris, nomothetica, politica.*

XXXV.

Oeconomica est, quæ, quid in familia agendum sit, quidue expediat ad domesticam disciplinam promovendam, præcipit & præscribit.

XXXVI.

Militaris est, quæ, ut communi Reipub. bono consulat, militares cogit copias, ad arcendos hostes patriæ saluti infestos.

XXXVII.

Nomothetica, quæ etiam princeps & regia nominatur, est, quæ leges condit, magistratus constituit, domiuatur, imperat, pœnas & præmia decernit.

XXXVIII.

Politica est, quæ proximè in singulis hominum actionibus versatur, & quasi manibus negotia ad Rempub. pertinentia tractat, & hæc communi voce absolute nuncupatur civilis.

XXXIX.

Quamvis enim revera ea mereatur politica dici, quæ est domina & ratio ferendarum legum; tamen, quia multitudo respicit non principia, sed exitus & postrema opera: propterea eos absolute vocamus civiles, qui in singulis magistratum actionibus versantur, illi enim proximè civilia tractant.

XL.

Demum hæc in singulorum actionibus occupata, etiam duplex est: vel enim est *consultrix*, vel *judicans*.

XLI.

Consultrix in consultatione & deliberatione versatur, cui omne actionum civilium genus, ut materies subijcitur.

XLII.

Judicans in iudicio ferendo posita est: nam ejus officium est judicare, quomodo actiones sint vel non sint consentaneæ legibus, quibus pœnis vel præmijs dignæ sint.

XLIII.

Quamvis igitur in libris de Repub & leg. condantur leges instituanturq; magistratus, recta tamen illarum, horumq; instituendorum ratio, ad libros de moribus pertinet.

G. 3.

Propterea

XLIV. Propterea jure Arist. in proemio suorum librorum Eth. partem illam absolute vocat civilem & summum bonum in ea declaratum, ait pertinere ad disciplinam, quæ princeps & regia sit cæterarum ad operationem dirigentium.

lib. 2. ad Nic.

S. 1. q. 2.

XLV. Providentia, prudentia, & lex, antea quodam necessitudinis nodo colligantur: ex prudentia enim oritur providentia, & ex providentia lex: ideo quot sunt gradus prudentiæ, tot providentiæ & legum reperiri necesse est.

plurim. grad. 5. 6. 38.

XLVI. 4. Sunt horum omnium principes gradus: in quorum 1. resulget prudentia, providentia, & lex eminentissima Dei: ex qua in 2. procedunt & resurgent prudentia, providentia, & lex Fati: in 3. Natura: in 4. Hominem, & appellatur prudentia, providentia & lex humana: quæ est tenuis quædam umbra legum naturæ, fati, & DEI.

cap. 5.

XLVII. Plato, nec non Arist. lib. 6. ad Nicom. asserunt, ad prudentiæ conservationem haud leve momentum asserre Temperantiam: propterea Græci temperantiam dixerunt σωφροσύνη, hoc est, conservationem prudentiæ.

reg. loc. 1. 2. 3. 4.

XLVIII. Idq; optimo jure: temperantia enim corrigit, frenat, modumq; imponit voluptati & dolori, quibus depravatis inquitur naturæ virtus, pervertiturq; judicium de fine, sine queis prudentia servari non potest.

lib. 6. c. 5.

XLIX. Accedere item debet usus & exercitatio ad prudentiam: quibus enim habitus aliquis gignitur, iisdem etiam servatur ac perficitur.

lib. 6. c. 5.

Et quamvis habitus in intellectu constituti oblivione deleri possint: nequit tamen prudentiæ habitus oblivione oboleri, propterea quod prudentia sit non tantum recta ratio, sed exposcat etiam habitum virtutum moralium longo usu & assuetudine comparatum.

cap. 7. 1. 2. 3. 4.

L. Cum disertis verbis asserat Philob. lib. 6. ad Nic. perfectam virtutem moralem exigere prudentiam: & hanc non posse esse perfe-

perfectam absq; adminiculo illarum virtutum. *perspicuum in-*
quit. nec sine prudentia quemquam posse virum bonum esse; neq; pru-
dentem sine virtute ea qua ad mores pertinet.

LIII. Idem evincitur ex definitione virtutis lib. 2. ad Nic. posi-
ta, in qua virtus dicitur consistere in *meōtati*, ut prudens defini-
tur, hoc est, in mediocritate praescripta secundum regulas pru-
dentiae.

LIV. Ut deinde prudentia cum virtutibus conjuncta est, & vir-
tutes aliae sint naturales, aliae morales, aliae divinae: ita statu-
endum est, aliquam esse prudentiam naturalem, moralem, &
divinam.

LIV. Est etiam prudentia fidelissima comes humanarum actio-
num, quas dirigit, perficit, ornat: quas in omni fortuna comi-
tatur, & in omni eventu mox subsequitur.

LV. Et cum homo non tantum externis sit circumdatus hosti-
bus, sed etiam ipsa vitiorum monstra adversum eum insurgant:
prudentia sola ei arma subministrat, quibus validissime adversas
partes sibi substernit.

LVI. Considerandum etiam est, quemadmodum prudentia Dei,
cum providentia suis legibus juncta, universum orbem faeli-
cissime regit: ita humanam prudentiam integrum hominem,
quasi parvum mundum, regia sua forma componere.

LVII. Hinc homo prudens non injuria sensilis imago insensilis
mundi Rectoris nominari potest: & sine regno verus esse re-
gem, quam qui regnum occupat sine prudentia arbitramur.

LVIII. Et licet prudentia ratione postremi actus, & ultimae formae
a virtute morali vincatur: tamen ratione facultatis & eminenti-
ae, prudentia omnibus moralibus virtutibus facile evadit supe-
rior.

LIX. De prudentia enim non secus, ac de consultore judicandum
esse, censet Philosophus de Repub: qui magis efficere dicitur
opera, quam ille, qui suis manibus ea absolvit.

Dubitare

lib. 2. ad Nic.

cap. 6.

lib. 2. ad Nic.

Piccol. gr. s. c. 40.

lib. 6.



LX.

Dubitare quis posset, num illi, qui neglectis publicis curis, se totos scientiæ contemplatiuæ tradunt, debeant cenferi prudentes.

LXI.

Aristoteles negativam partem tueri videtur, cum inquit: *lib. 6. c. 7. quocirca Anaxagorem, Thaletem, ceterosq; talas viros, sapientes quidem esse dicunt, prudentes vero nequaquam, cum utilia negligant.*

LXII.

Atq; ut ad dubitationem respondeamus, dicimus hujusmodi homines, ut plurimum, non esse prudentes prudentia civili, quæ longo rerum usu comparatur, de qua præsertim verba fecimus.

LXIII.

Statuimus tamen prudentes esse gradu quodam eminentiori, quatenus medium præeligunt ad Philosophicâ Beatitudinem obtinendam longè aptissimum.

LXIV.

1. polit. cap. 2. Immo vero disertis verbis asserit Arist. hominem esse civile animal, & eum, qui non fortunâ, sed naturâ alienus est à civitate, aut improbum esse, aut homine præstantiorem.

LXV.

Et quicumq; esse in societate recusat: inquit *Homerus*, aut nihilo indiget propter copiam, aut pars civitatis non habetur: propterea aut bestia erit, aut Deus, qui tribu careat & domo.

LXVI.

Atq; ex his constat, quid, quotuplex, quàm homini propria, singulis congruens, urbi utilis, mundo necessaria, & Deo grata sit prudentia.

Corollaria.

1. An prudentia sit præcipuus habitus intellectus? Aff.

2. An hæc sit quoq; brutis familiaris? Neg.

3. An mares sæminis sint prudentiores? Aff.

4. An astutia appellari possit prudentia? Neg.

5. An pueri, ebrj, & dementes explicitam habeant prud? Neg.

6. An vñq; & vñq; & vñq; constituent vnum habitum, quem prudentiam nominamus? Aff.

FINIS.

ULB Halle


3


002 068 796



[Handwritten blue ink scribble]







Farbkarte #13

B.I.G.



INES ETHICAR
S TEMPORI
IN COLLEGIO
O PRIVATO VVI-
OUS vernis, anni 98.

residio
TÆRMONTII
sis Borussi,
dentibus

tissimis Adolescentibus
Balthasare Osten Siles. Ste.
g. Sepusio. Davide Meisnero
Franc. Geor. Achatio Schrö
hultzio Pomerano Stetinensi.
ogix & Jurisprudentiæ.
atio publica de Amicitia,



8 9.

BERGÆ,
Georgij Mulleri.

